


DE HYMNIS ORPHICIS

CAPITVLA QVINQVE

AD VENIAM LEGENDI
IN VNIVERSITATE PHILIPPINA MARPVRGENSI
A PHILOSOPHORVM ORDINE
IMPETRANDAM

SCRIPSIT

ALBRECHTVS DIETERICH

MARPVRGI CATTORVM
IMPENSIS ELWERTI BIBLIOPOLAE ACADEMICI
MDCCCXCI

INDEX CAPITVM.

εἰ δ' Ὀρφέως μοι γλῶσσα καὶ μέλος παρῆν!
Eurip. Alc. 357.

Quae hierophanta Eleusinius olim in mysteriis sacerrimis cantauerit nemo unquam non ignorabit. uix unquam ullus lapis in lucem prodibit uel ulla charta ubi legatur antiquae illius aetatis hymnus mysticus. quamquam nullus fuisse uidetur in Graecia deorum cultus neque publicus neque secretus cui carmina non adhiberentur, tamen hymni sacri graeci paene omnes sunt perditi; et qui in Alexandrinorum bibliotheca seruabantur precationum thensauri κατὰ πόλεις dispositarum [1]) ne nobis perierint in aeternum uereor.

carminum uero in mysteriis usitatorum auctor paene diuinus antiquitus credebatur Orpheus uates Thracius. Ὀρφεὺς μὲν γὰρ τελετάς ἡμῖν κατέδειξε, inquit Aeschylus Aristophaneus [2]). inde a sexto saeculo Orphicam quam dicunt theologiam Athenis floruisse ne dicam ortam esse satis constat. nec negandum est multum et in rebus Eleusiniis ualuisse poetae uenerandi sacra praecepta. quid quod Lycomidae Attici mysteria quaedam gentis propria agentes cantasse feruntur τοὺς Ὀρφέως ὕμνους [3])? an miraris quod posteriore aetate omnium fere cum Apollinis tum Bacchi mysteriorum sollemnia aucta et celebrata esse permulti testantur scriptores iis uersibus quos paene omnes adscribebant celeberrimo sacrorum praeconi, filio deorum — quem Aristoteles nunquam re uera uixisse primus profiteri non dubitauit. omnium illorum uersuum nobis nil relictum est; diu, pro dolor, putredine consumptae sunt σανίδες illae, τὰς Ὀρφεία

1) cf. Gruppium, *culte und mythen* p. 547.
2) ran. 1032. cf. Eurip. Rhes. 944.
3) Pausan. IX 30, 12.

κατέγραψε γῆρυς (Eur. Alc. 968). itane uero? immo exstant *Ὀρφέως* qui inscribuntur *ὕμνοι.* qui quin posterioribus uel adeo postremis antiquitatis adscribendi sint saeculis nemini iam licet dubitare, iis saeculis, quibus religionis graecae lucidissimus olim splendor in dies magis philosophorum inuentis obscurari aliarumque gentium mythis maculari coeptus erat. attamen summi sane pretii est inuestigare quid de horum hymnorum origine forma compositione iudicandum sit, quos si mysticae Graecorum poeseos genuinas esse reliquias demonstrari poterit, fortasse et priorum temporum nonnulla fragmenta indagare licebit, et cum postrema aetas paullo liberalius frustula quaedam reliquerit, lucem quandam adferre hymnorum mysticorum graecorum historiae.

I.

Hymnorum Orphicorum libellus qui seruatur utrum deberetur ingenio poetae cuiusdam uel potius philosophi qui 'animi causa ut ostenderet quid Orpheus si uoluisset optimam precandi rationem tradere' [1]) haec composuisset, an in cultu ac religione certorum hominum in usu fuisset ita ut has precum formulas re uera recitarent in sacris mystarum coetibus, ambigebant uiri docti usque ad hunc diem. etsi nonnulli uiri et ii doctissimi nuper sensere illam olim omnium sententiam qua hymnos ut legerentur fictos esse putabant minus ueram esse, nuperrime exstitit qui Stoicum quendam illa consarcinasse et quae Orphicam doctrinam saperent interpolata tantum esse non modo putauit sed etiam publicauit [2]). neque uero sensibus et coniectamentis indulgere licet ubi demonstrari potest. atque eo minus illis nouissimis studiis uenia concedenda est, quoniam iam ante hos duodecim annos Rudolfus Schoell, uir insignis, in satura philologa Hermanno Sauppio oblata paucis pagellis (p. 176 sqq.) nouis titulis aduocatis etsi neque satis demonstrauit et explicauit neque amplius prosecutus est, tamen adumbrauit cur de imprecationum Orphicarum origine et usu uix iam dubitari posset. nolo autem inculpare neque rixari, sed ipse demonstrare.

in *εὐχῇ πρὸς Μουσαῖον* hymnis praemissa, cuius in fine Hecatam aduocant, legitur (u. 9 sq.):

λισσομένοις κούρην τελεταῖς ὁσίῃσι παρεῖναι
βουκόλῳ εὐμενέουσαν ἀεὶ κεχαρηότι θυμῷ,

atque in Curetum hymno (XXXI 6 sq.):

ἔλθοιτ' εὐμενέοντες ἐπ' εὐφήμοισι λόγοισι
βουκόλῳ εὐάντητοι ἀεὶ κεχαρηότι θυμῷ.

1) haec erat Lobeckii sententia, Aglaoph. p. 395.
2) Otto Kernius in Hermae uol. XXIV p. 498 sqq.

non iam ignoramus quid in his uersibus, qui certae formulae precatiuae speciem praebent, sit *βουκόλος*. an etiam nunc sunt qui putent eum qui hymnos finxerit se magis bubulcum quam poetam appellari ipsum uoluisse? etsi enim tituli non essent inuenti, iam Lucianus nos edocere potuit quid essent illi *βουκόλοι*. qui tradit [1]) choros Bacchicos maxime agi *in Jonia et in Ponto* ibique adeo homines his rebus deditos esse, ut per totos dies contemplarentur Titanes et Satyros et *βουκόλους*. quorum partes agere saltando nobilissimum quemque. uides ministros ac cultores Bacchi dei summi, *ἀξίου ταύρου* quem antiquitus uocabant, fuisse *βουκόλους* eodem modo quo Corybantes (et Curetes) et Satyri deum custodivisse et coluisse, Titanes uero eum puerum misere lacerauisse ipsis Orphicorum effatis notissimis dicebantur. quas res illic saltantes agebant atque imitabantur. in illis autem ipsis regionibus, de quibus dicit Lucianus, inuenti sunt lapides, eiusdem rei testes sincerissumi. *Pergami* inuenerunt titulum [2]), qui praebet haec uerba:

> *οἱ βουκόλοι ἐτείμησαν Σωτῆρα Ἀρτεμίδωρον τὸν ἀρχιβουκόλον διὰ τοῦ εὐσεβῶς καὶ ἀξίως τοῦ καθηγεμόνος Διονύσου προΐστασθαι τῶν θείων μυστηρίων· εἰσὶν δὲ οἱ βουκόλοι* — secuntur nomina — *ὑμνοδιδάσκαλοι* — *σειλήνιοι* — *χορηγός*.

in lapide qui *Apolloniae ad Pontum* [3]) in lucem prodiit, non modo *λικναφόρος*, *κισταφόρος*, *ἀρχιμύστης*, *ἀρχιβασσάρα* memorantur, sed etiam *βουκόλος*. ad senatum et populum *Iliensium* rex Pergamenus dedit epistulam quam lapidi inci-

1) *περὶ ὀρχήσεως*, in cap 79: *ἡ μέν γε Βακχικὴ ὄρχησις ἐν Ἰωνίᾳ μάλιστα καὶ ἐν Πόντῳ σπουδαζομένη καίτοι σατυρικὴ οὖσα οὕτω κεχείρωται τοὺς ἀνθρώπους τοὺς ἐκεῖ ὥστε κατὰ τὸν τεταγμένον ἕκαστοι καιρὸν ἁπάντων ἐπιλαθόμενοι τῶν ἄλλων καθῆνται δι' ἡμέρας Τιτᾶνας καὶ Κορύβαντας καὶ σατύρους καὶ βουκόλους ὁρῶντες. καὶ ὀρχοῦνταί γε ταῦτα οἱ εὐγενέστατοι καὶ πρωτεύοντες ἐν ἑκάστῃ τῶν πόλεων οὐχ ὅπως αἰδούμενοι ἀλλὰ καὶ μέγα φρονοῦντες ἐπὶ τῷ πράγματι μᾶλλον ἤπερ ἐπ' εὐγενείαις καὶ λειτουργίαις καὶ ἀξιώμασι προγονικοῖς.*

2) edidit C. Curtius in Herm. III 39. cf. *Μουσεῖον καὶ βιβλιοθήκη τῆς εὐαγγελικῆς σχολῆς ἐν Σμύρνῃ* 1875/76, p. 4, ubi idem lapis iterum publicatus est.

3) CIGr 2052.

dendam curarunt[1]): se iam antea donauisse commemorat *τάς τε βοῦς καὶ τοὺς βουκόλους.* quid igitur? suntne *αἱ βόες* uerae boues an potius eaedem ac *βασσάραι*? memineris, quaeso, Dianae ministras uocatas esse *ἄρκτους*, Bacchi et *τράγους*, postea mystas Mithrae, cui saepe ut solis deo leoninam attribuebant faciem, *λέοντας* et *λεαίνας*[2]), nec inutile est comparare apud Ephesios eos adulescentes qui festo Neptuni die potum ministrarent *ταύρους* esse adpellatos[3]). sumas uero si coniectando pauxillum indulgeas feminas Eleas quae illud *ἄξιε ταῦρε* cantitabant implorantes Dionysum, ut ueniat *τῷ βοέῳ ποδὶ θύων*, iam nomine *βοῶν* fuisse ornatas. sed *βουκόλων* adscribenda sunt alia testimonia: Polemo[4]) narrauit de *ἀρχι-*

---

1) CIGr 3604 . . . *ος Πλέ[ων] τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χάριν, ἣν ἔχων διατελῶ ὑμῖν ἐν παντὶ καιρῷ περὶ τῆς πρὸς τὸ θεῖον εὐσεβείας καὶ μάλιστα πρὸς τὴν Ἀθηνᾶν ἐκ τῆς πρότερον γραφείσης ἐπιστολῆς πρὸς ὑμᾶς πέπεισμαι πᾶσι φανερὸν πεφυκέναι, καθ' ἣν τάς τε βοῦς καί τοὺς βουκόλους ἀνετί[θ]ειν. καὶ νῦν δὲ χώραν ἠγόρα[κα* . . . agi de rebus sacris, non pecuariis uerba ipsa prae se ferunt. e quibus minume sequitur ut boues et bubulci donati sint in Mineruae usum. priore epistula rex de his bubulcis dixerat, sacerdotes uel ministras donauerat, nunc agrum emit ubi templum exstrueretur uel ubi mystae deos suos, inter quos Bacchus haud dubie putandus est summus, rite celebrarent.

2) cf. CILVI 744 et quos Henzenus conuocauit testes. addas locum Porphyrii de abstin. IV 16: *ὡς τοὺς μὲν μετέχοντας τῶν αὐτῶν ὀργίων μύστας λέοντας καλεῖν, τὰς δὲ γυναῖκας λεαίνας, τοὺς δὲ ὑπηρετοῦντας κόρακας κτλ.* cf. CIL III 3415.

3) Athenaeus X p. 425 C.

4) fragm. 31 Preller. (schol. Ven. in Iliad. I 39): *Σμίνθιος γὰρ τόπος τῆς Τρῳάδος, ἐν ᾧ ἱερὸν Ἀπόλλωνος Σμινθίου ἀπὸ αἰτίας τῆσδε. ἐν Χρύσῃ, πόλει τῆς Μυσίας, Κρῖνίς τις ἱερεὺς ἦν τοῦ κεῖθι Ἀπόλλωνος. τούτῳ ὀργισθεὶς ὁ θεὸς ἔπεμψεν αὐτοῦ τοῖς ἀγροῖς μύας οἵτινες τοὺς καρποὺς ἐλυμαίνοντο. βουληθεὶς δέ ποτε ὁ θεὸς αὐτῷ καταλλαγῆναι πρὸς Ὄρδην τὸν ἀρχιβουκόλον αὐτοῦ παρεγένετο, παρ' ᾧ ξενισθεὶς ὁ θεὸς ὑπέσχετο τῶν κακῶν ἀπαλλάξειν καὶ δὴ παραχρῆμα τοξεύσας τοὺς μῦς διέφθειρεν. ἀπαλλασσόμενος ἐνετείλετο τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ δηλῶσαι τῷ Κρίνιδι. οὗ γενομένου ὁ Κρῖνις ἱερὸν ἱδρύσατο τῷ θεῷ Σμινθέα αὐτὸν προσαγορεύσας, ἐπειδὴ κατὰ τὴν ἐγχώριον αὐτῶν διάλεκτον οἱ μύες σμίνθοι καλοῦνται. ἡ ἱστορία παρὰ Πολέμωνι. — αὐτοῦ* i. e. *ἱερέως.* minime credo hic dici uerum bubulcum sacerdotis ministrum qui boues Apollini mactandos administrauerit. est *ἀρχιβουκόλος* et uir magni honoris, sed minoris quam *ἱερεύς.*

βουκόλῳ, qui *in Troade* habitauit, sed quod mirum est Apollinis sacerdos fuisse uidetur. an putandum est in illis regionibus cultus Bacchici tantam fuisse uim et auctoritatem, ut ad eius exemplar aliorum sacrorum instituta uel certe nomina quaedam constituerentur? [1]) unus uero titulus graecus quem olim Cyriacus Anconitanus legit *Perinthi*, in urbe *ad Propontidem* sita, dignissimus est quem hic acrius examinemus. ediderunt eum uiri docti hoc modo [2]):

εὐτυχεῖτε. χρησμὸς Σιβύλλης.
ἐπὰν δ' ὁ Βάκχος εὐάσας πλησ[θήσ]εται[ι],
τότε αἷμα καὶ πῦρ καὶ κόνις μιγήσεται.
Σπέλλιος Εὐήθις ἀρχιβουκόλος
Ἡρακλείδου Ἀλεξάνδρου ἀρχιμυστοῦντος.

quo minus iamborum sensum intelleges, eo lubentius ut puto mihi concedes ut paullo fusius de eis disseram, ac lux quaedam fortasse adfulgebit mysteriorum horum tenebris. traditur enim in fine prioris uersus et insequentis initio **ΠΛΗϹΤΑΠΟΥΕ** unde unum quidem *τότε* recte elicuit Wilamowitzius; sed quae de reliquis litteris *πλησται* fecerunt critici *πλήσῃ πόλιν*, *πλανήσεται* probari non possunt nec magis *πλησθήσεται*. quem tandem sensum uerbis inesse putauere? unus Schoellius respondit 'nihil nisi apparatum sacrificii mystis furore Bacchico satiatis faciundi per imaginem' praescribi. ubi gentium tale tali modo sacrificium praescribitur? atque in priore uersu non de mystis sed de Baccho ipso res est. sed ne longus sim: nonne scis ubi cineres et sanguis et ignis ut fiat res sane summi momenti miscenda fuerint, nonne recordaris illius grauissimi de hominum origine placiti uere Orphici? uersibus illis praebetur uaticinium Sibyllinum ut par est obscurum de anthropogonia. ***τοῦ τῶν***

---

1) fortasse *Διόνυσος Σμίνθιος* in memoriam reuocandus est et suspicandum *Ἀπόλλωνος Σμινθίου* et *Διονύσου Σμινθίου* cultum illic fuisse coniunctum. modo uideo Tuempelii adnotationes de Baccho Sminthio in Philologi nouissimo fasciculo (XLIX, 3, p. 573 sq.), quas tamen non prorsus probo.

2) proposuerunt enim iam hi: Dumontius, *insriptions et monuments figurés de la Thrace* 1876 p. 38. Mommsenus in ephem. epigr. III (1877) 236, Kaibelius in mus. rhen. XXXIV 211. Schoellius l. c. p. 179.

Τιτάνων αἵματός ἐσμεν ἡμεῖς[1]), sic professi sunt Orphei adseclae, *τούτους ὁ Ζεὺς ἐκεραύνωσε καὶ ἐκ τῆς αἰθάλης τῶν ἀτμῶν τῶν ἀναδοθέντων ἐξ αὐτῶν ὕλης γενέσθαι τοὺς ἀνθρώπους*[2]). e *λύθρῳ* i. e. cruore cum puluere commixto orti sumus[3]) atque id quod summum est: etiam Bacchi ipsius sanguis nobis inest *ὡς τοῦ σώματος ἡμῶν Διονυσιακοῦ ὄντος, μέρος γὰρ αὐτοῦ ἐσμεν, εἴγε ἐκ τῆς αἰθάλης τῶν Τιτάνων συγκείμεθα γευσαμένων τῶν σαρκῶν τούτου*[4]). inde effulsit illis mystis certissima immortalitatis spes, quod in cuiusque et animo et corpore particula dei tam misere lacerati inesset. eius sanguinem sibi inesse putabant eo quod Titanum filii essent qui Dionysi particulas comedissent, igne uero caelitus misso Juppiter animas hominum creauit Titanes comburens in cineres eo modo, quo iam antiquitus anima ipsa ex igne caelesti deuenisse putabatur[5]), *τίτανον δὲ κυρίως τὴν κονίαν φαμὲν τὸ ἰδιωτικῶς λεγόμενον ἄσβεστον, τὸ ἐν λίθοις κεκαυμένοις χνοῶδες λευκόν. ἐκλήθη δὲ οὕτως ἀπὸ τῶν μυθικῶν Τιτάνων, οὓς ὁ τοῦ μύθου Ζεὺς κεραυνοῖς βαλὼν κατέφρυγε· δι᾽ αὐτοὺς γὰρ καὶ τὸ ἐξ ἄγαν πολλῆς καύσεως καί ὡς οἷον εἰπεῖν τιτανώδους διατρυφθὲν ἐν λίθοις λεπτὸν τίτανος ὠνομάσθη οἷον ποινῆς τινος Τιτανικῆς γενομένης καὶ ἐν αὐτῷ*[6]). ne igitur mireris, quod in illo uaticinio de hominibus oriundis Orphico nil de Titanibus inuenitur, sed de Baccho solo: 'hunc' enim 'potissimum finem spectant' Orphici, 'ut ex Bacchi illa caede genus hominum ortum suum cepisse appareat et ut Bacchus eum in modum trucidatus — palingenesiae et immortalitatis sponsor et uindex certissimus informetur'[7]). quid igitur illud *ΠΛΗCΤΑΙ*? adscribo nunc Himerii locum quo de ea ipsa

1) Dio Chrysost. orat. XXX 10.
2) cf. Lobeckii Aglaoph. p. 566.
3) Oppian. halieut. V 9.
4) Olympiodor. ad Platonis Phaedr. p. 61 C. cf Luebberti commenta in indice lect. Bonnensi hibern. 1888/89, ubi de Pindaro theologiae Orphicae censore disseruit, p. 10.
5) cf. Kuhnii librum *die herabkunft des feuers*, p. 69 sqq.
6) Eustath. ad Iliad. II 735.
7) Luebberti uerba l. l. p. 3.

Bacchi caede agit: *Διόνυσος ἔκειτο μέν, οἶμαι, πληγεὶς καὶ τὴν πληγὴν ἐστέναζεν*[1]) ... denique propono uersus emendatos:

ἐπὰν δ' ὁ Βάκχος εὐάσας πληγήσεται,
τότε αἷμα καὶ πῦρ καὶ κόνις μιγήσεται[2]).

quod si uerum est iam intellegimus quo modo Sibyllarum effata et oraculorum sententiae commixta sint cum his litteris, sed etiam id quod hic nostra interest, in mysteriis illis culta esse placita Orphica ac *βουκόλους* fuisse Bacchi praecipue Orphici ministros. eadem uero dogmata et in carminum Orphei libello testatur, ut de aliis locis nunc taceam, iam illa Titanum imprecatio: *ἡμετέρων πρόγονοι πατέρων* (hymn. XXXVII 2). nullus enim uidetur fuisse coetus huiusmodi sacer quin haberet propriam *ἱερὰν βίβλον*, in qua theogonia et anthropogonia explicarentur, et peculiarem carminum libellum. neque iam dubites, quin *ὑμνῳδοί* et *ὑμνοδιδάσκαλοι*, qui in illis titulis atque aliis[3]) a mystis positis ut certi administri memorantur, docuerint ac recitarint qualia nobis praebent *Ὀρφέως ὕμνοι* qui inscribuntur — qua inscriptione omnes has singulas similium mysteriorum collectiones ornatas fuisse ueri est simile.

nec uero solum in illis regionibus — Pergami, in Troade, Apolloniae, Perinthi — *βουκόλους* Bacchi fuisse scimus, sed etiam, quod minime miramur, *Romae*, posteriore quidem imperatorum aeuo. praeter lapidem urbis Romae, cui nil nisi haec

1) Himer. orat. IX 4. uerba insequentia sunt haec: *ἄμπελος δὲ ἦν κατηφὴς καὶ σκυθρωπὸς οἶνος καὶ βότρυς ὥσπερ δακρύων καὶ Βάκχος οὐκέτι σφυρὸν εἰς τὴν κίνησιν εἶχεν εὐάρμοστον. ἀλλ' οὐ διὰ τέλους τὸ δάκρυον οὐδὲ πολεμίων τὸ τρόπαιον. ὁ γὰρ Ζεὺς ἐποπτεύων ἑώρα πάντα καὶ τὸν Διόνυσον ἐγείρας, ὡς λόγος, Τιτᾶνας ἐποίει παρὰ τῶν μύθων ἐλαύνεσθαι.*

2) nonnulli tradunt Bacchum Titanes inebriatum occidisse (uelut mythogr. Vaticanus III 12. fragm. Orph. 206 Abel.), sed neminem spero ex hac parte rediturum esse ad *πλησθήσεται*. nam si litterarum hastas et compendia epigraphica et insuper Cyriaci oculos reputauimus, nullo alio modo illud *ΠΛΗCΤΑΙ* effici potuisse pellucet nisi *ΠΛΗΓΗCΕΤΑΙ* fuerit.

3) CIGr 2052. uide Herm. IV 228. CIGr 1720 *Nicodemiae* (Bithyniae). *ὑμνῳδοί* ab Hadriano instituuntur *Smyrnae* CIGr 3148. 3170. 3199. 3348; *Hadrianopoli* (Bithyniae) 3883.

duo uerba graece insculpta sunt: *ΤΡΟΦΙΜΟΣ ΒΟΥΚΟΛΟΣ* [1]), haud raro uiri nobilissimi praeter alios sacros honores in eos cumulatos appellantur etiam '*archibucoli dei Liberi*' [2]). quae inscriptiones paene omnes quarto p. Chr. saeculo sunt adsignandae.

unum addo testimonium, idem posteriorum temporum sed plane alius generis, quod nescio an singularis cuiusdam sit momenti. repetendum est ex *Aegypto*. in papyro Parisina [3]) magicis precibus et carminibus impleta leguntur in fine imprecationis cuiusdam (u. 2434 sqq.) haec: *ὁ λόγος οὗτος τῆς πράξεως. λαμβάνω σε παρὰ βουκόλου τὸν ἔχοντα τὴν ἔπαυλιν πρὸς λίβα, λαμβάνω σε τῇ χήρᾳ καὶ τῷ ὀρφανῷ* [4]). *δός μοι οὖν χάριν ἐργασίαν εἰς ταύτην μου τὴν πρᾶξιν. φέρε μοι ἀργύρια, χρυσόν, ἱματισμόν, πλοῦτον πολύολβον ἐπ' ἀγαθῷ.* quibus uerbis, etiamsi non satis plana sint, tamen constat *βουκόλον*,

1) nunc apud Kaibelium, inscriptiones graecae Italiae et Siciliae etc. 2045.

2) CILVI 510: Dis magnis matri deum et Attidi Sextilius Agesilaus Aedesius v. c. causarum non ignobilis Africani tribunalis orator et in consistorio principum item magister libellor. et cognition. sacrarum magister epistular. magister memoriae uicarius praesector. per Hispanias uice s. c. pater patrum dei solis inuicti Mithrae hierofanta Hecatae dei Liberi archibucolus taurobolio criobolioq in aeternum renatus aram sacrauit dd. nn. Valente V. et Valentiniano iun. Augg. conss. idib. Augustis. CILVI 500 (Romae ca. a. 300 p. Chr.):

ARCBDEILIBXVVIROSF

iam uides '*archibucolus dei Liberi*' primis inesse litteris, sicut saepius SDL scribitur i. e. sacerdos dei Liberi. CILVI 504 (Romae a. 376 p. Chr.): Dis magnis Ulpius Egnatius Fauentinus v. c. Augur. P. V. P. R. Q. pater et hieroceryx di solis inu. Mithrae archibucolus dei Liberi hierofanta Hecatae sacerdos Isidis percepto taurobolio criobolioque.

3) edidit Carolus Wessely, *denkschriften der kaiserl. kön. akad. der wiss. zu Wien. phil. hist. classe.* 1888.

4) *τη χαρα και τω ορφοντη* traditur in papyro. quin recte emendauerim non dubitabis si locum papyri Parisinae quae uocatur Mimaut contuleris, u. 235 (ed. Wessely l. c.): *ποίησόν μοι τὸ Δ* (= *δεῖνα*) *πρᾶγμα, ἐμοὶ τῷ τῆς χήρας ὀρφανῷ.* neque uero explicare possum has formulas nimis mysticas. an de Iside et Horo cogitandum est Osiride necato orbatis? an uiduis ut saepius in plebis superstitionibus et orbis sicut *παισίν* (*ἀώροις* plerumque) in rebus magicis singularis quaedam auctoritas attribuebatur?

cuius aula uel sacellum ad orientem uersus situm est, rerum magicarum esse antistitem et quasi sacerdotem. scimus autem quam arto uinculo hae papyri coniunctae sint cum hymnis Orphicis: primus nos edocuit Carolus Dilthey [1]) permulta illa carmina quae libris magicis inserta sint re uera esse Orphica et desumpta esse ex hymnorum collectionibus, e quibus una aetatem tulit. nonne in propatulo est illos compilatores superstitiosos sua quaesiuisse non e poetarum uel philosophorum figmentis sed ex usu ipso sacro? insuper nunc uides non solum poemata sed etiam ipsa instituta ac nomina acquisiuisse illos e mysteriis Bacchicis Orphicis [2]).

nunc uero paullulum redeamus ad aetatem multo uetustiorem. nonne iam in mentem uenit uersus ille uesparum Aristophaneus (u. 10):

τὸν αὐτὸν ἄρ' ἐμοὶ βουκολεῖς Σαβάζιον,

quod idem fere est atque 'eundem colis Sabazium'? [3]. Cratinus uero composuerat fabulam quae inscripta erat *Βουκόλοι*, cui cum rebus Bacchicis aliquid fuisse docet Hesychius s. u. *πυρπερέγχει* (?): *Κρατῖνος ἀπὸ διθυράμβου ἐν Βουκόλοις ἀρξάμενος* [4]). multo luculentius fit quid iam tunc fuerit *βουκόλος* duobus Antiopae Euripidiae uersiculis per Clementem Alexandrinum seruatis [5]):

ἔνδον δὲ θαλάμοις βουκόλον
κομῶντα κισσῷ στῦλον εὐίου θεοῦ.

sed longe omnium clarissimum testimonium praebetur Cretensium, qua fabula Euripides de mysteriis Orphicis egisse notum est, his uersibus quos Porphyrius tradit [6]):

---

1) in mus. rhen. XXVII p. 375 sqq.

2) hic adnotare iuuat magi nomen esse *Βουκολόβρας* in Photii biblioth. XXVII 19. Euphorbus uenator rerum magicarum peritissimus dicitur *Βουκολίδης* in Lithic. Orphic. u. 463.

3) in eccles. u. 81 idem uerbum respicit Argum, qui custodiam Ionis in bouem mutatae suscepit — sed altera uerbi significatione reputata fortasse etiam plus salis in illo uersu inesse sentimus *ἀμφισβητήτως* prolato.

4) fragm. 18 Kock. cf. Crusium in philolog. XLVII 37.

5) stromat. I p. 418. fragm. Eur. 203 Nauck [2].

6) de abstin. IV 19. fragm. Eur. 472 Nauck [2].

ἁγνὸν δὲ βίον τείνων ἐξ οὗ
Διὸς Ἰδαίου μύστας γενόμην
καὶ νυκτιπόλου Ζαγρέως βούτας[1])
τοὺς ὠμοφάγους δαῖτας τελέσας
. . . .
βάκχος ἐκλήθην ὁσιωθείς.

βούτας plane idem significare atque illis aliis locis *βουκόλος* satis apparet. quid quod eodem nomine utitur ***Βούτας Βουτάδων***, generis Attici auctor, cui cum rebus Bacchicis et mythis Thracicis aliquid fuisse haud ignoramus[2])? sed de his rebus item ac de ***Βουζύγων*** sacris quae a cultu Eleusinio haud prorsus aliena fuisse magis coniectari quam scire possis[3]), si certa efficere uellem, multum exspatiari deberem; nam permulta hic aduocanda essent quae quin a Baccho eiusque sacerdotiis alienissima sint longe abest, ut dubitauerim. unum uero addere liceat: ei ipsi religioni neque alii cuidam *βουτροφίᾳ* certe destinatum fuisse ***Βουκόλιον*** illud prope arcem Athenarum situm iam probatur ut alia mittam loco Aristotelico praeclari de re publica Atheniensium libelli nuper felicissimo casu reperti, cap. 3 (p. 7 Kenyon)[4]): *ἀλλ' ὁ μὲν βασιλεὺς εἶχε τὸ νῦν καλούμενον* ***Βουκολεῖον*** *πλησίον τοῦ Πρυτανείου. σημεῖον δέ· ἔτι καὶ νῦν γὰρ τῆς τοῦ βασιλέως γυναικὸς ἡ σύμμειξις ἐνταῦθα γίνεται τῷ Διονύσῳ καὶ ὁ γάμος.* hoc igitur certum efficitur illarum opinionum, unde sumpsere *βουκόλων* nomen ac notionem, quasi radices fuisse in Atticis sacris haud dubie uetustissimis.

redeundum est ad carmina Orphica. quid illic sibi uult nomen *βουκόλου*? sicut caerimoniae ipsae uocantur *ἁγνὰ μυστήρια* (h. XLIV 9), *τελεταὶ ὅσιαι* (XLIII 10), *θίασος* (LIV 4) et sim., ita qui eorum participes sunt, appellantur plerumque *μύσται* uel etiam *ὅσιοι μύσται*[5]), cuius nominis sollemni honore homines

---

1) perperam traditur *βροντάς*. praeclare emendauit Dielesius.
2) cf. Ioannem Toepfferum, *attische genealogie*, p. 113 sqq.
3) cf. Toepfferi eundem librum, p. 140 sqq.
4) p. 2, 25 sqq. in editione Kaibelii et Wilamowitzii.
5) innumeris locis VIII 20, XVIII 19, XXV 10, XXXIV 27, XXXVI 13, XLI 10, XLIV 11, L 10, LII 13, LXXI 12, LXXIV 10, LXXVI 11, LXXVII 9, LXXVIII 9. *ὅσιοι μύσται* LXXXIV 3.

Orphicos antiquitus esse usos constat [1])? inter quos satis aperte discernuntur *νεομύσται* uel *νεοφάνται* [2]). quibus uocibus quin certi initiationis gradus constituantur uix dubites, si et in lapide mysteriorum Andaniae peculiariter nonnulla decreta esse de *πρωτομύσταις* reputaueris [3]). simili modo in urnae [4]) opere caelato cuius imagines spectant ad res Eleusinias, effictos uides tres quasi mystarum gradus: qui hostiam adferens primo adgreditur (*πρωτομύστης* uel *νεοφάντης*) — qui iam mysta sacerrimis ritibus initiatur — qui iam altiore sapientia dignatus ipsum Bacchi sacrum serpentem colit uel nutrit (*ἐπόπτης*). *βουκόλος* igitur etsi non ipse dei sacerdos tamen is est qui magis ad Bacchi cultum quasi cotidianum aduocatus sit quam *μύσται* et *νεομύσται*. insuper si in titulis supra tractatis uidemus hic *βουκόλων* nomina praeter mystas adscripta, illic *ἀρχιβουκόλον* subditum fuisse imperio *ἀρχιμύστου* [5]), iam efficitur *βουκόλους*, quibus praepositus erat *ἀρχιβουκόλος*, collegium fuisse e reliquis mystis electum, cui mandatum erat ut *ἱεροποιοῖς* summo sacerdoti (*ἀρχιμύστῃ*) additis deum non modo rite uenerandum curare sed etiam *δραματουργίας* et saltationes Bacchicas agere, siquidem loci Lucianei memineris et hymni Orphici Curetum (XXXI), ubi qui eos qui *σκιρτηταὶ ἐνόπλια βήματα* ponunt, dei summi comites et custodes, imitatur haud forte *βουκόλον* se ipse appellat. neque uero certum munerum ordinem efficies: nam archibucolum saepius in lapidibus praesertim Romanis summum significare sacerdotem sentio nec ueri est dissimile *βουκόλον*, qui hymnum Orphicum recitat primum, *ὑμνῳδόν* fuisse et *ὑμνοδιδάσκαλον* uel certe carminum

1) e. c. Plat. rep. II p. 363 C. cf. Erwinum Rohde in libro qui inscribitur *Psyche*, p. 265 adn. 2.

2) *νεομύσται* XLIII 10. *νεοφάνται* IV 9.

3) cf. Sauppium, *die mysterieninschrift von Andania*, Gottingae 1860, u. 15, 40, 70. ceteroquin idem uerbum nisi apud Achillem Tatium III 22 non occurrit.

4) urna publici iuris facta est in *bulletino della comm. archeol. com.* vol. VII p. 5 sqq. cf. Stengelium *griechische kultusaltertümer*, p. 122 et tab. IV, fig. 3.

5) cf. lapidem Perinthi p. 6 et locum Polemonis p. 5 sq.

recitatorem, siquidem unum pro omnibus uersus pios elocutum esse luculentissime docet hymni XXXIV u. 10:

κλῦθί μευ εὐχομένου λαῶν ὕπερ εὔφρονι θυμῷ.

olim iam *λαοί* uocabantur non modo qui in contionem (*ἐκκλησίαν*)[1] et qui in theatrum Bacchi Atheniense ad fabulas spectandas conuenerant[2], sed etiam qui choris mysticis bacchantes deum celebrabant[3]. praeterea Iudaeos in ueteris testamenti uersione graeca haud raro appellari *λαούς* ita ut opponantur hominibus ethnicis nec aliter in nouo testamento Christianos notum est. iam uero si in sodaliciis Orphicis *λαῶν ὕπερ* exclusis omnibus *βεβήλοις* unum quendam e piorum grege electum preces effari apparet, ipse sentis quomodo huiusce uoculae notio propagata sit, ut tandem fere idem insit quod nostrates usque ad hunc diem dicunt '*laien*'. iam tunc in Orphicorum sacello *λαῶν ὕπερ* preces ac uota misit ad numina diuina Bacchi *βουκόλος*.

1) Aristoph. eq. 163.
2) Aristoph. ran. 676.
3) ibid. 219.

II.

Satis superque dictum est de bubulcis. attamen ut de hymnorum et indole et origine eo clarius edoceamur, acrius inquirendum est in totius libelli formam et compositionem. primo enim obtutu elucet non modo in exordio uniuscuiusque *τελετῆς* — nam *τελεταὶ πρὸς Μουσαῖον* appellantur hymni in nonnullis codicibus — suffimenta superadscribi quae re uera a precantibus obferantur, sed etiam in fine deorum numina ut ueniant sacrisque mystarum intersint formulis certis implorari item atque in hymnis magicis[1]) quos adhibitos esse in usu religioso uel superstitioso nemo negabit. ut de una clausula sollemni pauca dicam: petunt saepissime ut numen sibi occurrat *εὐάντητον*[2]). adpono lapidis uerba graeca: *Πολυνίκη Μοσχίωνος Φιλάδου γυνὴ Μητρὶ θεῶν εὐαντήτῳ ἰατρείνῃ εὐχήν*[3]), et hymni magici uersus apud Hippolytum IV 35 p. 102 (ed. Duncker.-Schneidewin.) seruatos:

Γοργὼ καὶ Μορμὼ καὶ Μήνη ποικιλόμορφε[4]),
ἔλθοις εὐάντητος ἐφ' ἡμετέρῃσι θυηλαῖς,

et papyri Lugdunensis[5]): *καὶ οὐ κατισχύσει με ἅπασα Στὺξ*[6]) *κινουμένη, οὐκ ἀντιτάξεταί μοι πᾶν πνεῦμα, οὐ δαιμόνιον, οὐ συνάντημα οὐδὲ ἄλλο τι τῶν καθ' Ἅιδου πονηρῶν.* quibus comparanda est Hesychii nota I p. 209: *ἀνταία. ἐναντία, ἱκέσιος.*

---

1) uide clausulas eorum hymnorum quos Abelius adnexuit Orphicorum editioni et quos Carolus Wessely praemisit papyris Parisinis et Britannicis.

2) uelut h. II 5, III 13, XXXI 7 et saepissime.

3) apud Foucartum, *des associations religieuses chez les Grecs* p. 199, no. 14 (*ἐφημ. ἀρχ.* no. 2589).

4) traditur *καὶ πολύμορφε*. emendauit Wilamowitzius in indice lect. Gott. aest. 1889 p. 29.

5) in mea papyri editione, quae addita est libro *Abraxas*, *studien zur religionsgeschichte des spätern altertums*, p. 196, 19 sqq.

6) *απασδραξ* traditur. emendaui.

Αἰσχύλος Σεμέλῃ. σημαίνει δὲ καὶ δαιμόνια[1]· *καὶ τὴν Ἑκάτην δὲ ἀνταίαν λέγουσιν ἀπὸ τοῦ ἐπιπέμπειν αὐτά*[2]). ecce quantam ritus et religionis antiquitatem redolet hymnus Orph. XLI *Ἀνταίας*, quam imprecantur *ἐλθεῖν εὐάντητον ἐπ' εὐιέρῳ σέο μύστῃ*[3]).

neque uero solum sic parum definite numina diuina sibi benigna appropinquare cupiunt, sed etiam ad singulos deos singulas emittunt preces qua quemque maxime pollere putant potentia. sanitatem petunt, uitam iucundam et quietam, diuitias, bonam messem, faustum nauium cursum[4]); quin etiam *ζωὴν ὁσίην* uel *ἀγαθὴν διάνοιαν* (cf. LXI 10 sq.) quam maxime desiderant. quid quod in primo omnium hymno Hecatae *Εἰλειθυίᾳ* supplicant pro fausta progenie (u. 13):

δίδου δὲ γονὰς ἐπαρωγὸς ἐοῦσα καὶ σῴζ' — —

et in ultimo omnium Morti ipsi pro felici uitae fine (u. 10 sqq.):

μακροῖσι χρόνοις ζωῆς σε πελάζειν
αἰτοῦμαι, θυσίῃσι καί εὐχωλαῖς λιτανεύων,
ὡς ἂν ἔῃ γέρας ἐσθλὸν ἐν ἀνθρώποισι τὸ γῆρας.

nonne iam suspicaris omnia carmina ex ordine quodam collocata esse? itaque ut imprecationum seriem perscrutari exordiamur, primum summis laudibus tollunt Hecatam quam uocare licet 'cosmicam', omnium reginam, eodem plane modo, quo iam eadem dea celebratur in interpolata quidem sed satis antiqua theogoniae Hesiodiae parte[5]). qui uersus minime sunt

---

1) *δαίμονα* codd. correxit Lobeckius.

2) cf. Etymologicum magnum p. 111, 49: *ἀνταία καὶ ἡ Ἑκάτη ἐπιθετικῶς. Διογενειανός, ἱκέσιος. — ἀνταίη δαίμων* et alias occurrit: schol. ad Apoll. Rhod. III 861.

3) cf. hymn. LXXI *Μειλινόης:*
u. 6: *ἣ θνητοὺς μαίνει φαντάσμασιν ἠερίοισιν*
. . . .
u. 9: *ἀνταίαις ἐφόδοισι κατὰ ζοφοειδέα νύκτα.*

4) antiquitus mystae se a deis suis in procellis maritimis seruari credebant, imprimis magnorum Samothraces deorum ministri. Aristoph. pac. u. 278. cf. Usenerum in mus. rhen. XXIII 329. (hymn. Orph. LXXV 5, Palaemonis: *σῴζειν μύστας κατά τε χθόνα καὶ κατὰ πόντον*).

5) u. 413–449. — u. 413 sq.:

separarandi a prooemio quod uocatur *εὐχὴ πρὸς Μουσαῖον*: iam huic ipsi subiungitur summae deae adoratio. primo autem carmine imploratur *Ἑκάτη Προθυραία Εἰλειθυία.* quid? siquidem notum est eiusdem simulacra saepe posita esse in portis et in templorum uestibulis [1]), nonne et horum mysteriorum sacellum mystas intrantes primum quidem *θεὰν κληδοῦχον* (u. 5) contemplatos uel certe ueneratos esse pones? tum legitur *Νυκτός*, omnium matris, gloria, qua par erat inaugurari *νυκτιφαῆ ὄργια* (h. LIV 10). iam uero deorum quorum secuntur laudes ordinem adscribere liceat ita:

III [2]) *Νύξ* IV *Οὐρανός*

V *Αἰθήρ*

VI *Πρωτόγονος*

ᾠογενής (u. 2)

VII *Ἄστρα* VIII *Ἥλιος* IX *Σελήνη*

X *Φύσις* XI *Πᾶν*

XII *Ἡρακλῆς*

(*χρόνου πατήρ* u. 3)

XIII *Κρόνος* XIV *Ῥέα*

XV *Ζεύς* XVI *Ἥρα*

XVII *Ποσειδῶν*

XVIII *Πλούτων*

quid igitur? hic in libelli exordiis principia quaedam theogonica cumulata esse et inde ab h. XIII—XVIII deorum genera certo

---

μοῖραν ἔχειν γαίης τε καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης
ἠδὲ καὶ ἀστερόεντος ἀπ' οὐρανοῦ ἔμμορε τιμῆς — —

hymn. Orph. I 2:

οὐρανίην χθονίην τε καὶ εἰναλίην

cf. de *Ἑκάτῃ ἐγκοσμίῳ* fragm. Orph. 201 (Abel.)

1) saepe culta est Hecata quippe quae portas custodiret cf. Prelleri-Roberti mythol. graec. p. 322. Hesych. s. u. *προπυλαία*. Ilithyiam constitutam esse Argis in porta tradit Pausan. II 18, 3, eiusdem sacellum fuisse Hermionae in ipsa porta quod nemini licuit intueri nisi sacerdotibus II 35. Olympiae adorabatur ut quae aluisset Sosipolim daemonem in illius templi uestibulo Pausan. VI 20, 2. cf. hymn. u. 14: *ἀεὶ σώτειρα ἁπάντων*. cf. Roscheri lexic. mythol. I p. 1220, 1895, 2906.

2) quamquam *Προθυραίας* hymnum primum esse censeo, Noctis secundum etc., tamen editionis Abelianae numeros hic mutare nolui.

ordine laudari nemo, ut puto, non uidit[1]). uerum enim uero certa subest theogonia. noctem et caelum iam ueteres theologos Orphicos omnibus aliis praeposuisse quin doceat Aristoteles metaphys. p. 1091 b[4] nemo sanus dubitat: *ἄρχειν φασὶν ... νύκτα καὶ οὐρανόν*[2]). atque si quidem *αἰθήρ* in placitis orphicis theogonicis nocti aut chao adponitur[3]), hic quod noctem et caelum sequitur nil mirum. quomodo ouum et ex ouo *Πρωτόγονος*, qui dicitur, u. 2 *ᾠογενής*, uel *Ἠρικαπαῖος* (u. 4) uel *Φάνης* (u. 8) orti sint satis notum est. nec quisquam offendet in septem mundi rectoribus (*ἑπταφαεῖς ζώνας ἐφορούμενοι*)[4]) una cum Sole et Luna[5]) celebratis. secuntur *Φύσις* et *Πᾶν*, qui qua ratiocinatione sint coniuncti iam uidebis, si *Πᾶνα ἀλληγορικῶς* et Stoicorum more omnium quasi regem, cuius membra sint mundi partes, et *Φύσιν παμμήτειραν θεάν* uocari obseruaueris[6]) nec non recte legeris uersum h. X 20 de *Φύσει* dictum:

παντοτεχνές, πλάστειρα, πολύκτιτε, Π ά ν τ ι α δαῖμον.

non minus pellucet hoc inesse in *παντοια* quod traditur[7]) quam hanc femininam formam effictam esse, ut *Πανί* masculino, uniuersi deo, quasi uxor adnecteretur[8]). quae numina etiam in poesi theogonica locum habuisse ut probem adnoto Damascii uerba: *ταύτης δὲ τῆς τρίτης τριάδος τὸν τρίτον θεὸν καὶ ἥδε ἡ θεολογία Πρωτόγονον ἀνυμνεῖ καὶ Δία καλεῖ πάντων*

---

1) nec latuit Petersenum, uirum de his hymnis longe optime meritum, Philol. XXVII (1868) p. 384, quem mirum quantum neglexerunt qui post eum Orphica tractabant.

2) caelum post noctem ponitur in generibus theogonicis saepius, fragm. Orph. 85 (Abel.), aether iuxta caelum apud Proclum in Plat. Tim. II 95 E. fragm. 121. 122.

3) Kern de theogoniis p. 4 sqq.

4) cf. fragm. theogon. Orph. 79—82 (Abel.)

5) cf. fragm. theogon. Orph. 127 (Abel.)

6) *Πᾶν* et *μήτηρ θεῶν* iam prioribus temporibus alio modo coniungebantur cf. Usenerum, *der heilige Theodosius*, p. 185.

7) coniecere *πότνια*.

8) cf. schol. ad Demosth. orat. XXI 9 ubi traditur ut deae nomen *Πάντια*, sed peruerse explicatur ita ut idem sit at *Πανδῖα* (deriuandum a *πάντοτε διεῖναι*!).

διατάκτορα καὶ ὅλον τοῦ κόσμου διὸ καὶ Πᾶνα καλεῖσθαι[1]). sequitur Hercules qui hic *χρόνου πατὴρ* dicitur (u. 3), sed eadem ratione qua in theogonia Hieronymiana *χρόνος* simul appellatur Hercules, ipse est *χρόνος*, si quidem praeter alios hos respexeris uersus (11 sqq.):

ὃς περὶ κρατὶ φορεῖς ἠῶ καὶ νύκτα μέλαιναν
δώδεκ' ἀπ' ἀντολιῶν ἄχρι δυσμῶν ἆθλα διέρπων
ἀθάνατος, πολύπειρος, ἀπείριτος, ἀσινφέλικτος.

dein inde a *Κρόνῳ*, qui et ipse ut *χρόνου* deus explicatur, deorum genera et caeli maris orci dei fraterni subiunguntur satis noti.

non puto fore qui mihi opponat theogoniam talem qualis in hymnorum ordine uestigia subesse demonstraui traditam non esse. an nescis quantam deorum generationum uarietatem Orphici tradiderint? multarum enim habemus theogoniarum fragmenta quae inter se maxime differunt[2]), atque hic satis erat demonstrare huius principiorum uel deorum in hymnis ordinis et singula membra et totum conexum originem certe duxisse ex Orphei quae dicitur theologia. nec quod in carminibus ipsis interdum numina laudibus ornantur, quae aliena esse uidentur ab ordine constituto — uelut si Saturnus uocatur (u. 6) *βλάστημα γῆς καὶ οὐρανοῦ* uel si omnium deorum patres uel matres fuisse dicuntur haud pauca numina (Physis, Saturnus, Rhea etc.), uexat nostram argumentationem: nam probe scimus quantopere e more fuerit istorum poetarum eum quem modo laudent deum omnibus extollere epithetis et unumquemque reddere uniuersi deum. pro certo igitur pronuntiamus: in eo sacro sodalicio Orphico, ubi illa cantabant, utebantur *θεογονίᾳ* quadam ut *ἱερᾷ βίβλῳ*, ad cuius normam ordinem quidem disponebant carminum, etsi uersus ipsos plerosque aliunde iam eos accepisse sumas.

1) theogoniae Orph. fragm. 37 (Abel.). de *Φύσει* cf. fragm. 83. — *Πᾶν* in hymni u. 12 uocatur *ἀληθὴς Ζεὺς ὁ κεραστής*.

2) iam constat post Gruppii (*die rhapsodische theogonie und ihre bedeutung innerhalb der orphischen literatur* in suppl. XVII ann. philol.) et Susemihlii (dissertatio de theogoniae Orph. forma antiquissima, Gryphiae 1890) curas. nunc cf. libri mei *Abraxas* p. 126 sqq.

iam transeundum est a hymnos sequentes:

XIX **Κεραυνός**[1]) XX **Ζεὺς Ἀστραπεύς** XXI **Νέφη**
XXII **Θάλασσα** XXIII **Νηρεύς** XXIV **Νηρηΐδες** XXV **Πρωτεύς**
XXVI **Γῆ** XXVII **Μήτηρ θεῶν.**
(γαῖαν ἔχεις u. 6)

apparet carmina eadem ratione constituta esse qua iam indicantur in prooemio (u. 32 sqq.) *δαίμονες οὐράνιοι, ἀέριοι, ἐνύδριοι, χθόνιοι* ita ut qui Iouis regno adscribuntur primo loco altero qui Neptuni, tertio qui in terra ipsa habitant deinceps constituti sint. secuntur uero:

XXVIII **Ἑρμῆς** XXIX **Φερσεφόνη** XXX **Διόνυσος**
μήτηρ Εὐβουλῆος Εὐβουλεύς

pergunt enim deorum genera persequi ac primum quidem adseruntur ii qui *ὑποχθόνιοι* Plutonis regionum incolae sunt et qui simul summi mysteriorum dei sunt. accedunt alii:

XXXI **Κουρῆτες** XXXII **Ἀθηνᾶ**[2]) XXXIII **Νίκη**
XXXIV **Ἀπόλλων** XXXV **Λητώ** XXXVI **Ἄρτεμις**

cur hic collocati sint de Curetibus uersus bene docet Proclus qui in theogonia illa Orphica quam legit iuniorum deorum primam Mineruam fuisse tradere uidetur[3]), atque idem addit[4]): *καὶ γὰρ οἱ πρώτιστοι Κουρῆτες τάγε ἄλλα τῇ τάξει τῆς Ἀθηνᾶς ἀνεῖνται κτλ.* et alio loco[5]): *τὴν οὖν εὔρυθμον χορείαν διὰ τῆς κινήσεως ὑποφαίνει (ἡ Ἀθηνᾶ) ἧς καὶ μετέδωκε πρώτη μὲν τῇ Κουρητικῇ τάξει, δευτέρως δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς· ἔστι γὰρ ἡ θεὸς κατὰ ταύτην τὴν δύναμιν, ἡγεμὼν τῶν Κουρήτων, ὥς φησιν Ὀρφεύς.* ibidem nonnulla legis de Diana fragm. 137 sqq. sex summi Olympii dei hoc modo sub-

1) *Κεραυνοῦ* inscribitur carmen in codd. etsi *Ζεύς* ipse aduocatur, non licet cognomen dei haud dubie antiquissimum mutare. *Κεραυνός* et hominum nomen erat, filii Clearchi Plut. Alex. II 5, Ptolemaei cognomen Paus. X 19, 7. — cf. apud Romanos Iuppiter Fulgur.

2) et hic subesse doctrinam de Baccho nato Orphicam patefacit hymn. XXXVI 6: — *Διὸς καὶ Φερσεφονείας ἀρρήτοισι γάμοις τεκνωθείς (Διόνυσος).* cf. h. XXIX 7. spectant ad Bacchum serpentiformem Proserpinam adeuntem.

3) fragm. 131, 132. Procl. in Plat. Tim. p. 52 B, 51 D.

4) fragm. 133. Procl. ad Polit. p. 387.

5) fragm. 132. Procl. ad Cratyl. p. 118.

iuncti sunt, adsertis denique Titanibus qui uocantur *ἡμετέρων προγόνοι πατέρων* (u. 2) et u. 4:

ἀρχαὶ καὶ πηγαὶ πάντων θνητῶν πολυμόχθων,

u. 6: *ἐξ ὑμέων γὰρ πᾶσα πέλει γενεὴ κατὰ κόσμον*

deductae sunt genealogiae usque ad ipsorum hominum originem. quae nunc secuntur dedicata sunt honoribus eorum qui mysteriorum horum Bacchicorum et Orphicorum proprii sunt praesides et fautores qui prooemio indicantur *Βάκχου συνευαστῆρες ἅπαντες* (u. 34).

XXXVIII *Κουρῆτες*

XXXIX *Κορύβας* XL *Δημήτηρ Ἐλευσινία*

XLI *Μήτηρ Ἀνταία* XLII *Μίση*
Εὔβουλον τέξασα u. 8

XLIII *Ὧραι* XLIV *Σεμέλη*
μήτηρ Διονύσου u. 3

XLV *Διόνυσος Βασσαρεὺς τριετηρικός* XLVI *Λικνίτης*
XLVII *Περικιόνιος*

XLVIII *Σαβάζιος* XLIX *Ἵππα*
Βάκχον μηρῷ ἐνκαταράψας u. 2 sq. *Βάκχου τροφός* u. 1.

L *Λύσιος Ληναῖος* LI *Νύμφαι*
Βάκχοιο τροφοί u. 3

LII *Τριετηρικός* LIII *Ἀμφιετής* LIV *Σειληνός Σάτυρος Βάκχαι*

LV *Ἀφροδίτη* *σεμνὴ Βάκχοιο πάρεδρε* u. 7
LVI *Ἄδωνις* *Εὔβουλεῦ* u. 3 *Κύπριδος γλυκερὸν θάλος* u. 8
LVII *Ἑρμῆς χθόνιος* *βακχεχόροιο Διονύσου γένεθλον καὶ Ἀφροδίτης* u. 3 sq.

iterum praedicantur Curetes, qui tamen hic *ἐν Σαμοθράκῃ ἄνακτες* dicuntur; saepius enim Curetes et Corybantes (u. 20 *Κουρῆτες Κορύβαντες*) et Cabiri plane commiscentur [1]; praeterea hic primi sacrorum magistri et aduectores fuisse putantur, u. 6:

ὑμεῖς καὶ τελετὴν πρῶτοι μερόπεσσιν ἔθεσθε.

Κορύβας eos excipit ac si legeris u. 7 (h. XXXIX):

Δηοῦς ὅς γνώμῃσιν ἐνήλλαξας δέμας ἁγνόν
θηροτύπον θέμενος μορφὴν δνοφεροῖο δράκοντος,

1) cf. Lobeckium in Aglaoph. p. 1111 sqq.

iam intellegis cur adiungatur Cereri Eleusiniae **Βρομίοιο συνεστίῳ** (u. 10), cui est simillima *μήτηρ Ἀνταία* (XLI)[1]), **Εὔβουλον τέξασα θεόν** (u. 8); de **Μίσῃ** uil certi affirmare ausim: est simul *ἄρσην καὶ θῆλυς*, simul *θεσμοφόρος Διόνυσος* (u. 1), *Λύσειος Ἴακχος* (u. 4) et **Μίσῃ** *ἄνασσα*[2]). Horae autem quantum ualuerint in cultu Bacchico ostendit non solum uersus Simonideus (fr. 148 Bergk.), ubi uocantur *Διονυσιάδες*, et *Διονύσου ὀρθοῦ* ara *Atheniensis* in Horarum sacro posita (Philochor. apud Athen. II p. 38c), sed etiam multorum monumentorum imagines, ubi dei thiaso intersunt[3]). nec forte factum est, ut primum deae uernae celebrarentur, dein *τριετηρικός* deus, tum *Λικνίτης*, postea demum *Λύσιος Ληναῖος* etc. de reliquis uix quidquam addendum est[4]). Bacchi enim matribus nutricibus comitibus choreutis pencensitis iam adnectuntur Venus, summa eius *πάρεδρος*, et Adonis, deae filius et ipse **Εὐβουλεύς**, et Mercurius chthonius, Bacchi et Veneris progenies. disponamus igitur nunc reliquorum carminum ordinem:

LVIII **Ἔρως** LIX **Μοῖραι** LX **Χάριτες**
LXI **Νέμεσις** LXII *Δίκη* LXIII *Δικαιοσύνη* LXIV **Νόμος**

---

1) et de Antaea ipsa dicitur, u. 3 sqq.:
ἥ ποτε μαστεύουσα πολυπλάγκτῳ ἐν ἀνίῃ
νηστείην κατέπαυσας Ἐλευσῖνος γυάλοισιν κτλ.

2) Misam re uera in horum numinum societatem referendam esse docet Harpocratio s. u. *Δυσαύλης*, qui et in rebus Eleusiniis locum habuit et in scriptis Orphicis cf. fragm. Orph. 215 et 217 (Abel.), et hymni Misae antecedentis uersum 6, ubi praeclara Hermanni emendatione e *δύσαγνος* recuparatus est *Δυσαύλης*. Misa uero maxime in Aegypto honorata esse uidetur, u. 8:
ἢ καὶ πυροφόροις πεδίοις ἐπαγάλλεαι ἁγνοῖς
σὺν σῇ μητρὶ θεᾷ μελανηφόρῳ Ἴσιδι σεμνῇ,
Αἰγύπτου παρὰ χεῦμα σὺν ἀμφιπόλοισι τιθήναις.
nunc scimus Alexandriae fuisse *κάθοδον τῆς Μίσης*, Herodas mimiamb. I 56 (u. mus. rhen. 1891 p. 635).

3) plura adlata sunt a Rappio in Roscheri lex. myth. I p. 2719 sq.

4) Sabazium et Hippam non temere conligatos esse simili modo ac *Κορύβας* et Demeter iam uides in hymno Sabazii (qui Bacchi pater est, u. 2 sq.), u. 4. de Hippa conferas fragm. Orph. 207 (Abel.) et Luebberti commentariolum de Pindaro theologiae Orphicae censore indici lect. Bonnensi ann. 87/88 hib. praemissum p. XX.

LXV Ἄρης LXVI Ἥφαιστος LXVII Ἀσκλήπιος LXVIII Ὑγίεια
LXIX Ἐριννύες LXX Εὐμενίδες LXXI Μειλινόη
LXXII Τύχη LXXIII Δαίμων
LXXIV Λευκόθεα LXXV Παλαίμων
LXXVI Μοῦσαι LXXVII Μνημοσύνη
LXXVIII Ἠώς
LXXIX Θέμις
LXXX Βορέας LXXXI Ζέφυρος LXXXII Νότος [1]
LXXXIII Ὠκεανός
LXXXIV Ἑστία
LXXXV Ὕπνος LXXXVI Ὄνειρος LXXXVII Θάνατος

etsi extricari possit cur Amoris post Mercurium gloria instituatur, quoniam et in monumentis hi dei una effinguntur [2]) et e. c. apud Ciceronem (de natura deorum XXIII 6) ex antiquissimo mytho Amor Mercurii et Dianae chthoniae filius dicitur, tamen hic res est de Amore cosmogonico qui *πάντων κληῖδας ἔχει*, u. 4 sq.:

αἰθέρος οὐρανίου, πόντου, χθονὸς ἠδ' ὅσα θνητοῖς
πνεύματα παντογένεθλα θεὰ [3]) βόσκει χλοόκαρπος
ἠδ' ὅσα Τάρταρος εὐρὺς ἔχει, πόντος δ' ἁλίδουπος,
μοῦνος γὰρ τούτων πάντων οἴηκα κρατύνεις.

eundem Amorem iam uetustissima aetate Lycomidas Atticos laudauisse hymnis quos composuissent Orpheus et Pamphos, tradidit Pausanias (IX 27, 3): eundem nouissima aetate Lucianus (am. cap. 31) praedicat *ἱεροφάντην μυστηρίων*. nec uero latet quo uinculo coniunctus ille fuerit cum Gratiis — saepe Parcis simillimis — iam in antiquissima religione, uelut in Elide Gratiarum et Amoris statuae in eadem basi constitutae erant (Pausan. VII 24, 6). quod uero Moeris subiunctae sunt Nemesis Iustitia Lex, nullo eget commentario. inde ab Amore nouam

1) bene iudicauit Gruppius, *die rhapsodische theogonie*, p. 731 adn. 1, hymni austri initium intercisum esse nec non intellexit haud sine bona causa Euri laudem esse omissam. cf. Hesiod. theog. u. 378 et Rappium in Roscheri lex. I p. 1255.

2) in herma, apud Gerhardum, *antike bildwerke*, tab. 41, inter Samothraces deos Mercurio Amor adpositus est.

3) *θεά* quod traditur restituendum est. accepit Abelius Wielii coniecturam peruersam *Ῥέα*; sed Proserpina uel Ceres dicitur.

aliorum numinum seriem incipere suspiceris notionis cuiusdam uniuersalis et a sensibus quasi abductae. quid uero, quaeris, hic Mars et Volcanus et Aesculapius? sed a primo nil aliud petunt nisi pacem (cf. imprimis h. LXV 6 sqq.), ab altero qui *πάντα οἶκον ἔχει, πᾶσαν πόλιν, ἔθνεα πάντα* (LXVI 8) ut hominum opera laeta bene adiuuet (u. 11), a tertia item atque ab Hygia ut sanitatem demittat morbosque malos depellat. iam omnia clarescunt; nam *Μειλινόη* quidquid de ea iudicandum est, *νύμφη χθονία* esse dicitur (u. 1) neque Furiis est dissimilis. itaque se excipiunt qui uitam regunt, qui iustas constituunt leges, qui malos ulciscuntur, praemio donantur bonos — qui pacem artes sanitatem, res maritimas, res musicas curant [1]) — tandem quae *ἔργων ἡγήτειρα, βίου πρόπολος θνητοῖσι*, quae *πᾶσιν ἐργάσιμον βίοτον θνητοῖσι πορίζει* (LXXVIII 6 et 12), ut *μύσταις ἱερὸν φάος αὔξοι* (u. 13), imploratur ipsa diua Aurora quasi *ᾠδῇ ἑωθινῇ* quales postea in sodaliciis christianis uetustissimis cantari solebant [2]). multo luculentius est Themin hic intellegendam esse ut *γαίης* deam (u. 2) [3]), Aquilonem Zephyrum Austrum aeris deos, Oceanum aquae [4]), Vestam ignis [5]). elementa enim quattuor adorantur sicut in prooemio iam legebatur (u. 39): *κόσμου τε μέρη τετρα-*

---

1) fortasse collocati erant antea hymni ita ut h. LXIX — LXXIII Legis hymnum LXIX sequerentur, deinde proferrentur singulae rerum humanarum preces.

2) horum hymnorum ordini fortasse ratio subest paullo obscurior: Athenis olim *νηφάλια* (i. e. sacrificia chthonia qualia propria erant mysteriis) obferebantur Mnemosynae, Musis, Aurorae, Soli, Lunae, Nymphis. cf. Polemonis fragm. 74 (Preller) = schol. Soph. Oed. Col. 100. Soli et Mmemosynae *πόπανα* tribuuntur CIA III 651. hic uero Musae Mnemosyna Aurora uersibus deinceps sequentibus celebrantur, et Aurorae cum uentis fuisse consuetudinem constat (cf. Rappium in Roscheri lex. I 1255 sq.), uentis uero et ipsis Athenis danda erant sacrificia chthonia (cf. Stengelium, Herm. XVI 346 sqq.)

3) quae oracula docuit Apollinem et Pythiam sedem priscis temporibus occupauit (u. 3 et 6). Terra erat ipsa.

4) u. 4 sq.: *ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα*
καὶ χθόνιοι γαίης πηγόρρυτοι ἰκμάδες ἁγναί.

5) u. 2: *ἣ μέσον οἶκον ἔχεις πυρὸς ἀενάοιο.*

κίονος αὐδῶ. denique quod in totius libelli fine[1]) fratres illi *Ὕπνος Ὄνειρος Θάνατος* locum habent nemo mirabitur.

nunc hymnis omnibus percursis fidentissime confirmo: conlecta sunt carmina certo quodam ordine, ex parte quidem ad normam theogoniae cuiusdam Orphicae[2]); oriunda enim sunt ex ipso mystarum usu, qui in sacello suo quaecunque animis gestiebant hisce carminibus recitatis a deis expetebant, *εὐτυχῶς χρῶ ἑταῖρε* superadscribitur in nonnullis codicibus, quoniam ut fieri solet in his litteris pseudepigraphis libri prooemium ab Orpheo ad Musaeum datum esse prae se fert. a certi thiasi Bacchici Orphici sodalibus adhibebatur libellus.

qui ubi ortus uel potius redactus sit si quaeris, ex iis quae supra exposuimus respondeo: *in Asiae minoris oris maritimis et Aegypti prope Alexandriam;* cui opinioni egregie fauet quod permulta rei maritimae numina adorantur[3]). in Aegypto maxime hanc hymnorum mysticorum poesin excultam et propagatam esse patebit fortasse postea singulis quibusdam rebus reputatis[4]). apte quadrat quod de hymnorum aetate iudicandum est.

quando enim conlecti sint non opus est noua quaestione. iam sentimus, etsi non demonstrassent uiri docti[5]), fieri non

---

1) quem huc transtulere Martis hymnum ex Homericis inde ab Hermanno sane Orphicus est, sed plane alius generis et certe ab hoc collectionis loco alienissimus.

2) etsi non affirmo in singulis ex ea quam adumbrare conatus sum ratiocinatione sic dispositos esse hymnos nec nego hic illic nonnulla perturbata uel omissa esse, tamen certum efficere uoluisse ordinem compilatores demonstrasse mihi uideor. quorum rationes quam maxime inquirere magis e re erat quam si quid minus processit coniectamentis indulgere.

3) cf. quae de Nereidis dicuntur, h. XXIV 10:

ὑμεῖς γὰρ πρῶται τελετὴν ἀνεδείξατε σεμνὴν
εὐιέρου Βάκχοιο καὶ ἁγνῆς Περσεφονείης
Καλλιόπῃ σὺν μητρὶ καὶ Ἀπόλλωνι ἄνακτι

(Calliopa et Apollo Orphei parentes sunt!)

4) e. 21, adn., p. 2 et adn., p. 9.

5) Petersenus haec optime explicauit l. c., et Kernius l. c. qui hymnos uere Stoicos originitus fuisse putat quamuis peruersa opinione (quam optime profligauit Gruppius, *die rhapsodische theogonie*, p. 728 sqq.), tamen bonus est testis quantum in illis carminibus ualeant Stoicorum placita.

potuisse ante Stoicorum doctrinas atque allegorias ut hymni sic instituerentur [1]). accedit quod papyrorum magicarum auctores Aegyptiaci e talibus carminibus conlectis sua desumpsisse constat [2]), unde sequitur ut antea constituta sint hymnorum uolumina. postea magis magisque dei commiscentur et imae aetatis numina uelut Serapis, Osiris, Isis, Mithras, Iao, Sabaoth etc. saepissime occurrunt in papyrorum uersibus. uerum ille libellus nescio an paucis saeculis ante confectus sit i. e. inde ab anno c. 200 a Chr. usque ad ca. Christum natum [3]). quae cum satis probata sint iam sentis cur illi homines iterum atque iterum orent ac rogitent, ut p a x sibi praebeatur [4]): nam tum cum illis post Alexandrum magnum saeculis duces ac reges bellicosissimi orbem terrarum paene quotannis et ferro et igni uexabant et deuastabant, iam pii deorum cultores id agere coeperunt ne huiusce mundi incolae essent sed sperarent fore ut uita aerumnosissima pie absoluta patriae cuiusdam caelestis fierent ciues a regnorum corruentium turbis longe remoti.

---

1) de Stoicorum doctrina ad posteriorum temporum religiones propagata fusius egi in libro qui inscribitur *Abraxas, studien zur religionsgeschichte des spätern altertums*, 1891, impr. p. 83 sqq.

2) inde ab anno 100 uel 150 p. Chr. cf. quae exposui in prolegomenis papyri magicae a me editae in suppl. ann. philol. XVI p. 779 sqq. sed paullo priore aetate quam illic uolui similes libros iam conscribi coeptos esse concedendum est.

3) eo magis elucet hanc poesin non modo traditam sed etiam auctam et mutatam esse si reputaueris sacrorum illorum socios nobilissimos et eruditissimos fuisse uiros, ad quos ne imperatores quidem non dederunt epistulas. prooemio ipso euincitur aut antea hoc in uolumine plures conlectos esse hymnos aut prooemium ipsum ex simili opere praefixum esse. ibi memorantur quae non hymnis ipsis celebrantur numina: *Ἥβη* (u. 13), *Εὐσέβεια* (u. 14), *Ἐνιαυτός* (u. 18) (*Διώνη*, u. 19), (*Ἰδαῖοι θεοί*, u. 22), *Πίστις* (u. 25), (*Θεσμοδότειρα*, u. 25), *Ἄτλας* (u. 28), *Αἰών* (u. 28), *Στύξ* (u. 29), *Πρόνοια* (u. 30), (*Ἀδράστεια*, u. 36), *Βρονταί* (u. 39), *Μήν* (u. 40), *Ἀρχή* et *Πέρας* (u. 42). quorum plurima posterius aeuum sapiunt.

4) X 30 XIV 13 XV 10, 11 XVII 10 XIX 22 XXIII 8 XXIX 18 XXXII 16 XXXVI 15 XL 19 LXIII 9. hymno LXV Marti supplicant, ut terris pacatis se uertat *εἰς ἔργα τὰ Δηοῦς*.

III.

Hic subiungere liceat paucissimis uerbis obseruationem singularum dodecadem, quibus nonnulla hymnorum Orphicorum uerba tradita aut defendantur aut si dis placeat emendentur.

1. VIII *ΗΛΙΟΥ*, u. 12 seruandum est *φωσφόρος, αἰολόδικτε* —, damnandum Hermanni *αἰολόδειχτε* et Wielii Abeliique *αἰολόμιχτε*. *Δίκτη* nympha est a qua mons Dictaeus nomen duxisse dicitur (Seru. ad Verg. Aen. III 171). cui formae adponenda mascula *Δίκτος*, quo nomine mons Cretensis utitur apud Aratum in Phaen. u. 33. *Δίκτυς* idem nomen est alius suffixi opera formatum; nomen femininum *Δίκτυννα*. quas formas non a *δίκτυον* sed a radice *δικ* (*δείκνυμι*) 'illustrare' (cf. *Εὐρυδίκη*, *Λαοδίκη* etc.) esse deriuandas me edocuit Usenerus. quantam igitur antiquitatem sapit epitheton illud sollemne! statim similis sensus nomen diuinum uindicari poterit. h. XXXVI *ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ*, u. 3 scribendus est:

Πασιφάη, δᾳδοῦχε, θεὰ Δίκτυννα, λοχείη.

πασιφαής codd. comparare iuuat uersus ad Lunam emissos magicos papyri Parisinae (apud Carolum Wessely l. c.), u. 2301:

καὶ παρθέν' εἰνοδία σὺ καὶ ταυροδράκαινα νύμφη
ἵππος κόρη δράκαινάτε Μινωίη κραταιή.

ceteroquin *Πασιφάη* uetustissimum deae Lucis nomen esse notum est (cf. Pausan. III 26). et *Δίκτου* et *Πασιφάης* nomina ad antiquitates Cretenses sunt referenda! [1])

---

1) *Περσία* Hecata dicitur in Orph. h. I 4, de cuius nominis origine cf. Usenerum mus. rhen. XXIII p. 352. pap. Par. 2271 Luna uocatur *Περσία*, *Νομία* (? *νομεα* traditur). *Νομίας* pater erat *Λυκάων* Pausan. X 31, 10), *Ἀλκυόνη*, ibid. 2780 Hecata: *Ἀλκυία θεά, Νεκυία, Περσία.* scis quid de Perseo et Dictyo iudicandum sit. hic uero haec omnia nomina sacra antiquissima tractare non licet.

2. XII *ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ*, u. 10 traditur:

πρωτογόνοις στρέψας βολίσιν μεγαλώνυμε ναίων.

βολίσιν pro *φολίσιν* iam dudum emendauit Lennepius. pro *ναίων* proposuere scribenda *δαῖμον*, *Παιών*, alia. nescio an *Ναίων* tenendum sit. Hercules item atque Iuppiter ipse celebratur, qui anni tempora dirigat (e. c. u. 3 *χρόνου πάτερ*), qui mittat *πρωτογόνους βολίδας*. nonne *Ζεύς* uocatur *Νάϊος*? (cf. Prelleri et Roberti mythol. graec. p. 123, adn. 3). nuper etiam *Athenis* olim cultum esse Iouem *Νάϊον* lapide a Lollingio publicato edocti sumus (*ἀρχαιολογικὸν δελτίον*, Sept. 1890). an dubitas formam *Ναΐων* idem significare posse de Ioue uel Hercule, quoniam et eum ipsum fontium deum fuisse non latet (cf. Prelleri mythol. graec. II 274 sq.). hominis nomen *Ναίων* inuenitur CIGr II 3064, 31. fortasse alia prodibunt testimonia, ut minus dubitanter de hoc loco agere liceat. discendum tamen quantopere hic abstinendum sit temere mutando.

3. XXXII *ΑΘΗΝΑΣ*, u. 4 traditur:

ἢ διοίγεις ὄχθων ὑψηχέας ἀκρωρείας.

pessime Abelius *κατέχεις* post Wielium accepit. (Hermannus *ἥτε διαΐσσεις ὑψαυχένας ἀκρωρείας*), sed e *ΔΙΟΙΓΕΙΣ* eliciendum est *ΔΙΕΠΕΙΣ* = *διέπεις*.

4. XXXVIII *ΚΟΥΡΗΤΩΝ*, u. 21 uocantur Curetes — *ὁμοῦ Διὸς κόροι αὐτοί*. *Ζηνὸς κόροι* editores. *Διὸς ἔκγονοι* (cf. XXXII 1) melius esset, rectum uero sine dubio est: — *ὁμοῦ κοῦροι Διὸς αὐτοί.*

5. LII *ΤΡΙΕΤΗΡΙΚΟΥ*, u. 1 traditur:

κικλήσκω σε, μάκαρ, πολυώνυμε, μανικὲ Βακχεῦ —

post Hermannum scripserunt *μαινόλα*. restituas:

κικλήσκω σε μάκαρ, μανικός, πολυώνυμε Βακχεῦ.

hoc aeuo nominatiuum poni solere pro uocatiuo probe scimus. ignorat Abelius qui huius generis nominatiuos saepius mutauit.

6. LIV *ΣΙΛΗΝΟΥ ΣΑΤΥΡΟΥ ΒΑΚΧΩΝ*, u. 5 scribendus est:

εὐαστής, φιλάγρυπν', εὐάζων οἷσι σιληνοῖς,
Ναΐσι καὶ Βάκχαις ἡγούμενε κισσοφόροισι.

traditur *φιλάγρυπνε νεάζων οἷσι σιληνοῖς*. inde ab Hermanno

ediderunt Doruillii coniecturam: *φιλάγρυπνε σὺν εὐζώνοισι τιθήναις.* scriberem *αἶσι τιθήναις*, nisi censerem in illius aetatis carminibus uocalis *ι* in *σιληνοῖς* correptionem tolerari posse.

7. XLI *ΜΗΤΡΟΣ ΑΝΤΑΙΑΣ*, u. 8 tenendum est: ***Εὔβουλον τέξασα θεόν***, minime cum Abelio scribendum ***Εὐβουλῆα τεκοῦσα θεά.*** *ἔτεξα* aoristus eiusque formae saepius leguntur apud posteros scriptores cf. Lobeckii Phynich. p. 743. iam sermonis Attici plebei uidentur fuisse: Aristoph. Lysistr. u. 553 *ἐντέξῃ.*

8. LXI *ΝΕΜΕΣΕΩΣ*, u. 4:

ἀλλάσσουσα λόγον πολυποικίλον, ἄστατον αἰεί.

non recte intellexere editores qui post Wielium *ἀλλ' ἔχθουσα* uoluerunt. nuper W. H. Roscherus (*Berliner philol. wochenschrift* 1891, n. 16, p. 501) proposuit *ἀλλ' ᾀστοῦσα* speciose quidem, sed tamen male. an ignorant Nemesin quae fortunam moderetur animi esse inconstantis, cui rota adponi solet ab artificibus: *ἡ δὲ πολλὰ πολλάκις δινουμένη καὶ μεταπίπτουσα Νέμεσις* (in Luciani libello qui insribitur *Λούκιος ἢ ὄνος*, cap. 35). plura uide apud Posnanskyum, *Nemesis und Adrasteia*, Vratislau. 1890, p. 50 sqq. inde et in re amatoria multa ualuit, de qua re disputauit Baumeisterus in *denkmäler des class. altertums*, p. 1008 et Albrechtus Dieterich in libello de Tibulli amoribus Marburgi anno 1844 edito. *ἀλλάσσουσα* igitur recte traditur, sed nescio an pro *λόγον* scribas *νόον* necesse sit. quod hic uersus non satis quadrare uidetur ad alia quae de dea iustissima proferuntur, nil mirum inter epitheta persaepe et contraria sine certa ratione cumulata. insuper illis uocibus *ἄστατον αἰεί*, quae nisi de deae ipsius mente dicuntur inepte dici sentiendum est, me recte esse argumentatum probatur.

9. LXIII *ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΣ*, u. 11 traditur:

ἐν σοὶ γὰρ σοφίῃ ἀρετῆς τέλος ὄ λ λ ο ν ἱκάνει.

pro *σοφίης* iam Hermannus restituit *σοφίῃ*. pro *ὄλλον* ediderunt *ἐσθλόν*, edendum erat *ὄλβον*. *ὄλβος* enim est *τέλος ἀρετῆς*, quo sapientia tendit. cf. h. XVIII 10. LXXXIV 8. Lithic. Orph. u. 63 sqq.

10. LXXIII *ΔΑΙΜΟΝΟΣ*, u. 1 legitur in codicibus:

Δαίμονα κικλήσκω μεγαλανηγήτορα (sic) *φρικτόν.*

ἀγαθὴ Τύχη saepissime coniuncta est cum *ἀγαθῷ Δαίμονι*; locos adscripsit permultos L. de Sybel in Roscheri lex. myth. I p. 939. hymni *Τύχης* antecedentis (LXXII) primus uersus hic est:

Δεῦρο, Τύχη, καλέω σ' ἀγαθήν, κράντειραν ἐπ' ἔργοις.

illum igitur *Δαίμονος* imprecationis primum uersum, quem Hermannus sic edidit: *Δαίμονα κικλήσκω μέγαν εὐηγήτορα φρικτόν*, Abelius et Wielius *Δαίμονα κικλήσκω πελάσει, ἡγήτορα, φρικτόν*, fidenter restituo hoc modo:

Δαίμονα κικλήσκω σ' ἀγαθόν, μεγαλήτορα, φρικτόν.

11. LXXXI *ΖΕΦΥΡΟΥ*, u. 1 sqq. sic seruandi sunt:

Αὖραι παντογενεῖς Ζεφυρίτιδες, ἠερόφοιτοι,
Ἡδύπνοοι, ψιθυραί, θανάτου ἀνάπαυσιν ἔχουσαι.

minime scribere licet *ποντογενεῖς* et *καμάτου*. cf. h. XXXVIII 3 *ζῳογόνοι πνοιαί* et u. 22 *πνοιαὶ ἀέναοι, ψυχοτρόφοι.* an ignoras *τριτοπάτορας ἀνέμους* quos rogabant non modo *Athenienses*, sed etiam Orphici *ὑπὲρ γενέσεως παίδων*? *αἴτιοι* erant *γενέσεως*. cf. fragm. Orph. 240 (Abel.) [*Φιλόχορος δὲ τοὺς τριτοπάτορας πάντων γεγονέναι πρώτους — — ἐν δὲ τοῖς Ὀρφικοῖς ἀνέμων παῖδας*. Suid. et Phot. s. u. *τριτοπάτωρ*] schol. Od. *κ* 2 p. 331. cf. Luebbertum de Pindaro dogmatis de migratione animarum cultore, ind. Bonn. hib. 1887/88 p. IX sq.

12. LXXXVII *ΘΑΝΑΤΟΥ*, u. 3:

σὸς γὰρ ὕπνος ψυχὴν θραύει καὶ σώματος ὁλκόν.

quid *ὁλκόν*? intellegi nequit. inest in *ΟΛΚΟΝ ὄγκον* uel *ὄγκον*, quae uox de externa corporis facie et dignitate usitata est.

IV.

Poeseos quam tractamus Orphicae sacrae primordia et origines reducendas esse ad Athenienses nemo negabit. compluriens religionum plerumque Atticarum uestigia uetustissimarum in hymnorum corpore posteriore aeuo conglutinato monstrare quidem digito potuimus. qua re apparet quanta constantia inter nouissima postea addita seruauerint formulas rituales deorumque epitheta sacra etiam in hac uerae religionis graecae ruina. sed dum haec diligenter enodata sint et demonstrata, ita ut si uaniori spei indulgere liceat usque ad Onomacriti uersus et Lycomidarum hymnos Orphicos horum carminum historia redintegrata sit, multo opus erit sudore et amplissima multarum rerum explicatione. tanta nunc non molimur. sed haud ita multo post quam Athenis res Orphicae maxime floruerunt, in aliis regionibus illa mysteria ulterius usque progrediebantur. nam postquam Pythagoras, religionis paene nouae antistes et auctor, in *Italiam inferiorem* demigrauit et per multa oppida suum *τοῦ βίου τρόπον* propagauit inde a quinto fere medio saeculo [1]), paullo post Orphicorum placita atque effata ad Pythagoreos translata et utramque doctrinam plane commixtam esse scimus. iam uero sodalicia Orphica Pythagorea permulta in illa terra instituta sunt. ecce, hodie illorum hominum uersus prodiere e sepulcris *Thuriensibus* et *Petelinis*. quid quod Thuriis, in ipsa illa urbe quam anno 443 Athenienses maxime condidere, hae de quibus dicam lamminae aureae inuentae sunt? [2]) sed statim adscribo inscriptionum trium uerba, quibus uerum h y m n u m effici non latebit, hoc modo:

1) uixisse fertur Crotone et Metaponti, uenisse in Italiam a. 438, si sequimur Ciceronis auctores (de re publ. II 15, Tusc. I 16). quales numeri quamuis sint incerti uel falsi, tamen magis sunt probabiles, quam alii postea ad altiorem antiquitatem redacti.

2) Thuriis Bacchum cultum esse et ex eo sequitur quod una oppidi pars statim uocitabatur *Διονυσιάς*, Diodor. XII 10.

A.

ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθαρά, χθονίων βασίλεια
Εὐκλῆς Εὐβουλεύς τε καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι·
καὶ γὰρ ἐγὼν ὑμῶν γένος ὄλβιον εὔχομαι εἶμεν,
ἀλλά με μοῖρ' ἐδάμασσε καὶ ἀστεροβλῆτα κεραυνῶν·
κύκλου δ' ἐξέπταν βαρυπενθέος ἀργαλέοιο,
ἱμερτοῦ δ' ἐπέβαν στεφάνου ποσὶ καρπαλίμοισι,
δεσποίνας δὲ ὑπὸ κόλπον ἔδυν χθονίας βασιλείας.
'ὄλβιε καὶ μακαριστέ, θεὸς δ' ἔσῃ ἀντὶ βροτοῖο'.
ἔριφος ἐς γάλ' ἔπετον.

B. C.

ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθαρά, χθονίων βασίλεια,
Εὖκλε καὶ Εὐβουλεῦ καὶ θεοὶ ὅσοι δαίμονες ἄλλοι·
καὶ γὰρ ἐγὼν ὑμῶν γένος εὔχομαι ὄλβιον εἶναι,
ποινὰν δ' ἀνταπέτεισα ἔργων ἕνεκα οὔτι δικαίων,
εἴτε με μοῖρα ἐδάμασσεν εἴτ' ἀστεροπῆτα κεραυνῶν.
νῦν δ' ἱκέτης ἥκω παρ' ἁγνὴν Φερσεφόνειαν,
ὥς με πρόφρων πέμψῃ ἕδρας ἐς εὐαγέων.

Tres lammellae ABC iuuentae sunt in agro Thuriensi prope uicum Corigliano. Fiorelli *notizie degli scavi*, 1880, p. 155, tab. VI. Comparetti *Journal of hellenic studies* III p. 114 sqq. sed uide nunc omnia accuratissime administrata apud Kaibelium, inscriptiones graecae Italiae et Siciliae 641, cuius apparatum criticum non describo nisi si quid corrigendum esse censeo.

A. 5 *αστεροβλητα κεραυνον* traditur. *κατ' ἀστεροβλῆτα κεραυνόν* Buechelerus in mus. rhen. XXXVI p. 334. *κεραυνός* mauult emendare Kaibelius, 'ut poeta nominatiuum *ἀστεροβλῆτα* formauerit sicut apud Hom. *κυανοχαῖτα ἱππότα* sim. extant'. ex parte quidem recte. *αστεροπητι κραυνων* B *ετεροπητικη κεραυνο*, postea spatium litterae N bene sufficiens C. *ἀστεροπητής* Iouis epitheton Hom Il. I 580, 609. VII 443. XII 275. scribendum: *ἀστεροπῆτα* (nec *ἀστεροβλῆτα* A damnare licet) *κεραυνῶν*.

B. C. in unum conscripsi B et C quoniam uix inter se differunt. 2 *και θεοι δαιμο[ν]ε[ς] αλλοι* B. 5 *εδαμασατο* B, non legitur in C. ceteroquin ad u. 5 cf. A.

etiamsi non pro certo affirmauerim horum uersuum tres uel potius duos quasi codices sic contaminandos esse in unum contextus progressum, tamen hoc modo scripsi ut unum subesse carmen eluceret, cui hic illic uersum postea desumptum uel additum esse non negauerim. sed quid sibi uelint hi uersus bene perspicis, si quos in dextra et in sinistra pagella posui coniunxeris, ita ut undecim uersuum carmen oriatur. supplicatio est mystae ad Inferorum reginam regesque facta, ut se excipiat in pratis beatorum. iam uersu undecimo iudicium fert regina: beate, deus eris. u. 12 continentur uoces mysticae metro solutae, adhuc editoribus obscurissimae. at proferamus nunc quae habemus ad hoc precum carmen sepulcrale acrius intellegendum.

primum quidem ex eo dogmate, quod de migratione animarum constituerant, dicta esse notandum est haec:

κύκλου δ' ἐξέπταν βαρυπενθέος ἀργαλέοιο.

omnia enim clarescunt iis quae Laertius Diogenes VIII 14 tradit de Pythagora: *πρῶτόν τέ φασιν τοῦτον ἀποφῆναι τὴν ψυχὴν κύκλον ἀνάγκης ἀμείβουσαν ἄλλοτε ἄλλοις ἐνδεῖσθαι ζῴοις.* eodem modo memoratur apud Proclum ad Tim. p. 330 A: *κύκλος τῆς γενέσεως. ἐν τῷ τῆς εἱμαρμένης ... τροχῷ,* dicitur apud Simplicium ad Aristot. de caelo p. 168b (ed. Karsten.), ubi pergitur *οὗπερ ἀδύνατον ἀπαλλαγῆναι κατὰ τὸν Ὀρφέα μὴ τοὺς θεοὺς ἱλεωσάμενον, οἷς ἐπέταξεν ὁ Ζεύς.*

κύκλου τ' ἀλλῦσαι καὶ ἀναψύξαι κακότητος

τὰς ἀνθρωπίνας ψυχάς, illo autem Procli loco adduntur haecce: (*ἡ περίοδος*) *πᾶσαν ... τὴν ζωὴν ἀπὸ τῆς περὶ τὴν γένεσιν πλάνης, ἧς καὶ οἱ παρ' Ὀρφεῖ τῷ Διονύσῳ καὶ τῇ Κόρῃ τελούμενοι τυχεῖν εὔχονται,*

κύκλου τ' ἂν λῆξαι καὶ ἀναπνεῦσαι κακότητος [1]).

1) plura de his rebus conlegit Luebbertus, de Pindaro dogmatis de migratione animarum cultore, l. c. p. VII sqq. de *κύκλῳ* nonnulla Orphica adnotasse O. Kernium modo uideo in libro, qui inscribitur *Aus der Anomia*, p. 86 sqq. (*Orphischer totenkult*) et adponas Procl. ad Plat. remp. p. 116 (ed. Schoell.):

satis perspicue uerba docent, cur quod effugerit circulum fatalem laetetur poeta Thuriensis, Pythagorae et Orphei discipulus. eodem referendum quod addit:

ποινὰν δ' ἀνταπέτισ' ἔργων ἕνεκ' οὔτι δικαίων.

omnes enim ex illorum placitis poenam luunt non modo scelerum et male factorum, sed etiam culpae cuiusdam primigeniae; inde factum est, ut haec terrestris uita ipsa poena esset παλαιοῦ πένθεος, quae iam Plato (in Cratylo p. 400 C) Orphicis imputat. nec facere possum, quin ad duos Pindari locos te mittam:

οἷσι δὲ Φερσεφόνα ποινὰν παλαιοῦ πένθεος
δέξεται ἐς τὸν ὕπερθεν ἅλιον κείνων ἐνάτῳ ἔτεϊ
ἀνδιδοῖ ψυχὰς πάλιν, ἐς δε τὸν λοιπὸν ἥρωες ἁγνοὶ
πρὸς ἀνθρώπων καλεῦνται [1]).

ubi tamen de animis, qui iterum ad lucem emittuntur, sermo est item atque in eiusdem Pindari od. Ol. II 63:

οἶδεν τὸ μέλλον,
ὅτι θανόντων μὲν ἐνθάδ' αὐτίκ' ἀπάλαμνοι φρένες,
ποινὰς ἔτισαν, τὰ δ' ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ
ἀλιτρὰ κατὰ γᾶς δικάζει τις ἐχθρᾷ
λόγον φράσαις ἀνάγκᾳ [2]).

sed qui — uel potius eius anima, quae illos lammellae uersus clamat, plane ex omni funesta migratione quod erepta sit exsultat: omnem poenam soluit et rediit, unde olim profecta est, ad diuinos honores; generis deorum est unde deciderat (ὑμῶν

οὕνεκ' ἀμειβομένη ψυχὴ κατὰ κύκλα χρόνοιο
ἀνθρώπου ζῴοισι μετέρχεται ἄλλοθεν ἄλλος κτλ.

et Verg. Aen. VI 748 sqq.:

has omnes, ubi mille rotam uoluere per annos
Lethaeum ad fluuium deus euocat agmine magno,
scilicet immemores supera ut conuexa reuisant
rursus et incipiant in corpora uelle reuerti.

1) threni fragmentum in Menone Platonis p. 81 B traditum (in Bergkii lyr. gr. I[4], 428). cf. Luebbertum l. c.

2) singula ea quae a nostra re aliena sunt explicat Luebbertus l. c. p. XVII. et in Orco animae committunt peccata, quorum poenas in terra soluunt.

γένος ὄλβιον εὔχομαι εἶναι)[1]. adloquitur Euclum i. e. Orcum ipsum[2]) et Eubuleum et ante omnes Inferorum reginam Proserpinam primo illo uersu *ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθαρά* (scil. *ψυχή*), *χθονίων βασίλεια* — i. e. mysta sum, mysteriorum Orphicorum particeps sum. nam *οἱ καθαροὶ* iidem sunt atque *οἱ ὅσιοι*[3]), qua uoce significantur 'puri'[4]). statim igitur contendit, ut dea se mittat *ἕδρας ἐς εὐαγέων*. uoculae *εὐαγής* mysticae historiae quasi terminos duos habes, si hymni Homerici ad Cererem legeris u. 273 sq.:

ὄργια δ' αὐτὴ ἐγὼν ὑποθήσομαι, ὡς ἂν ἔπειτα
εὐαγέως ἔρδοντες ἐμὸν νόον ἱλάσκοισθε[5]).

et Synesii philosophi Platonici, sacerdotis Cyrenaici, hymnorum, qui quantum ex orgiorum antiquorum formis desumpserit facile est ad demonstrandum, hos uersus:

h. III, u. 394 sqq.: *ὅθεν ἐκπροφυγὼν*
δώροισι τεοῖς
στέφος εὐαγέων
ἀπὸ λειμώνων
σοὶ τοῦτο πλέκω —[6]).

---

1) in simillimi argumenti lammella (apud Kaibelium no. 438) legitnr: *αὐτὰρ ἐμοὶ γένος οὐράνιον*.

2) sic explicauit Buechelerus in mus. rhen. uol. XXXVI 333 ex Hesychii glossa *Εὐκλῆς· Ἅιδης*.

3) cf. supra p. 11.

4) cf. Rohdeum, *Psyche*, p. 265 (*ὅσιαι χεῖρες* etc. *ὁσιοῦν: βάκχος ὁσιωθείς* Eurip. fr. 472). praeterea *ἱκέτης καθαρός* Aesch. Eumen. 474. Soph. OC 548. Eurip. Jon. 1334 e linguae sacrae formulis depromptum est. etiam saeculo post Chr. IV. Nouatiani Christiani proprie appellabantur *οἱ καθαροί*.

5) cf. eiusdem hymni u. 370.

6) cf. VII 9 *καὶ δέχνυσο μουσικὰν | ἐξ εὐαγέων μελῶν*. VIII 39: *ὅσιον δ' ἐφέποι λόγος | παναχήρατον εὐαγές | ἀδίκοις ἄβατον πόθοις*. 46: *σὺν δ' εὐαγέων χόροις | ὕμνους ἀνάγειν δίδου*. addendum est fragmentum Orph. 151 Abel. (ap. Procl. in Plat. remp. p. 696), quod iam Kernius aduocauit l. c.: *οἳ μὲν εὐαγέωσιν ὑπ' αὐγὰς ἠελίοιο | αὖτις ἀποφθίμενοι μαλακώτερον οἶτον ἔχουσιν | ἐν καλῷ λειμῶνι βαθύρροον ἀμφ' Ἀχέροντα*. formula ipsa sacra inuenitur satis antiqua in Theocriti carmine quod uocatur *Λῆναι ἢ Βάκχαι*, XXVI 30: *αὐτὸς δ' εὐαγέοιμι καὶ εὐαγέεσσιν ἅδοιμι* et in Callimachi hymno in Del. 98: *εὐαγέων δὲ καὶ εὐαγέεσσι μελοίμην*.



praeterea satis nota sunt inde ab Homero prata illa, quae uocat alius tabulae Thuriensis uersus 6 (apud Kaibelium n. 642): *λειμῶνάς θ' ἱερούς* et *ἄλσεα Φερσεφονείας.* eodem spectat si exsultat anima:

ἱμερτοῦ ἐπέβαν στεφάνου ποσὶ καρπαλίμοισι.

nam *στέφανος* est qui cingit loca beatorum uel prata illa ipsa desiderata. simili notione uox *στέφανος* usurpatur in Orphicorum Argonanticorum uersu 761 sq.:

αὐτίκα οἱ στέφανος καὶ τεῖχος ἐρυμνόν
Αἰήτεω κατέφαινε καὶ ἄλσεα [1])

iam uero illud *ἔριφος ἐς γάλ' ἔπετον* quid sibi uelit quaeris. quod paene desperatum uidetur. inspicias uelim quae Clemens Alexandrinus, protrept. III 15, de Cereris aliisque mysteriis refert: *τὰ σύμβολα τῆς μυήσεως ἐκ περιουσίας παρατεθέντα οἶδ' ὅτι κινήσει γέλωτα κἂν μὴ γελασείουσιν ὑμῖν διὰ τοὺς ἐλέγχους· ἐκ τυμπάνου ἔφαγον· ἐκ κυμβάλου ἔπιον· ἐκερνοφόρησα· ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον. ταῦτα οὐχ ὕβρις τὰ σύμβολα; οὐ χλεύη τὰ μυστήρια;* quibus subiungo quae idem uir Alexandrinus de mysteriis Eleusiniis tradit, ib. 21: *κἄστι τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων· ἐνήστευσα· ἔπιον τὸν κυκεῶνα· ἔλαβον ἐκ κίστης· ἐγγευσάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην. καλά γε τὰ θεάματα καὶ θεᾷ πρέποντα.* plus his tenebris lucis adfert Firmicus Maternus, qui de eadem re scribit 18, 1 p. 102, 14: in quodam templo, ut in interioribus partibus homo introiturus possit admitti dicit: de tympano manducaui, de cymbalo bibi et religionis secreta perdidici, quod graeco sermone dicitur — (secuntur fere eadem, quae leguntur apud Clementem). quid igitur uolunt ista mystice et consulto obscurissime dicta? signa sunt et symbola sociorum, quibus inter se agnoscunt, quibus auditis excipiuntur in adytis profanis omnibus reclusis. significare uidentur omnibus his formulis se accepisse summam sapientiam ac felicitatem uel intimam dei consuetudinem. nonne eiusdem generis est illud

1) cf. Argon. u. 895. *πόλιος στέφανος*, Anacr. fragm. 72. Pind. Ol. 8, 42 (Troiae moenia). Eurip. Heracl. 839.

ἔριφος ἐς γάλ' ἔπετον? an miraris quod in fine tabulae a uersibus separatum adscribitur mysteriorum illorum symbolum, quo pronuntiato anima mortui in Orco agnoscatur 'ut homo introiturus possit admitti' in *εὐαγέων* sedes interiores? maxime necessarium uidebatur, ut hoc adponeretur mortuo, cuius in manibus positae fuisse uidentur tabellae [1]). at nondum hercle nobis quiescendum est. an sensu plane carere illud effatum concedere licet? minume. apud Hesychium legitur *Ἔριφος· Διόνυσος* et ab eiusdem Bacchi nominis stirpe deriuandum esse et epitheton *ἐρραφεώτας* in Alcmanis fragm. 90 et *εἰραφιώτης* in hymn. Homer. XXXIV 2 optime animaduertit Wieselerus [2]). addo oraculi imperatorum aeuo conscripti, *Pergami* inuenti, uersum (in Kaibelii epigr. graec. 1035, u. 7 sq.):

τῶν ἡ μὲν Κρονίδην ὕμνωι, μία δ' Εἰραφιώτ[ην
. . . [μέλψ]ηι

nec non hymni Orphici XLVIII u. 1 sq.:

Σαβάζιε, κύδιμε κοῦρε,
ὃς Βάκχον, Διόνυσον, ἐρίβρομον, Εἰραφιώτην
μηρῷ ἐγκατέραψας, ὅπως —.

praeterea apud Hesychium legitur s. u. *Εἰραφιώτης Ἔριφος παρὰ Λάκωσιν*, apud Stephanum uero Byzantinum (s. u. *Ἀκρώρεια*) nota ex Apollodoro desumpta: *Διόνυσος· Ἐρίφιος παρὰ Μεταποντίνοις*. patet religionis et nominis historia: a Doriensibus, inter quos iam Alcman testis est, translata est in Italiam, unde propagata est ad posterioris aeui cultus Bacchicos (et Asiae minoris). ecce in illa ipsa Italiae regione, ubi uersamur, Bacchus rite colebatur *Ἔριφος* nec nobis mirum, quod eius ministri *ἔριφοι* se appellasse uidentur. quid uero quod dicunt 'haedus ad lac uenit'? lac, primum atque optimum hominum nutrimentum, donat suis Bacchus:

ὁ δ' ἔξαρχος Βρόμιος εὐοῖ,
ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον (Eur. Bacch. u. 141. cf. u. 706).

fontes ubique emergunt lactis, si chorus Bacchicus appropinquat,

---

1) cf. Comparettium l. c.

2) Philol. 1855, p. 701. cf. F. A. Voigtii optimam de Dionyso commentationem in Roscheri lex. myth. I p. 1059.

nec non mellis [1]. omnia fluxere lactis et mellis aurea aetate [2], fluent prata beatorum. unum accedit: erant qui putarent *γαλαξίαν* i. e. uiam lacteam caelestem esse beatorum domicilium [3]. unum promo locum, quo statim unde haec sumpserint edocemur. Porphyrius enim refert de antr. nymph. cap. 28: *δῆμος δὲ ὀνείρων κατὰ Πυθαγόραν αἱ ψυχαί, ἃς συνάγεσθαί φησιν εἰς τὸν γαλαξίαν τὸν οὕτω προσαγορευόμενον ἀπὸ τῶν γάλακτι τρεφομένων, ὅταν εἰς γένεσιν πέσωσιν. διὸ καὶ σπένδειν αὐταῖς τοὺς ψυχαγωγοὺς μέλι κεκραμένον γάλακτι ὡς ἂν δι' ἡδονῆς εἰς γένεσιν μεμελετηκυίαις ἔρχεσθαι, αἷς συγχεῖσθαι τὸ γάλα πέφυκεν.* nonne patet sacrificia illa lactis et mellis, quae oblata esse mortuis nemo nescit, originitus instituta esse quibus animae fruerentur ut cibo? sed iam intellegis illud *ἔριφος ἐς γάλ' ἔπετον.* lepidissime sane dicitur et haedulum nunc domum rediisse ad matris lactea ubera et Dionysi ministrum et mystam, nunc et ipsum deum, qui *ὑπὸ κόλπον ἔδυ Φερσεφονείας*, adiisse ad beatae uitae prata lactea [4].

attamen unum restat strenuo interpreti:

δεσποίνας δ' ὑπὸ κόλπον ἔδυν χθονίας βασιλείας

---

1) e. c. Plat. Jon. p. 534 A: *αἱ βάκχαι ἀρύτονται ἐκ τῶν ποταμῶν μέλι καὶ γάλα.* cf. Phaedr. p. 253. Horat. carm. II 19, 9. plura apud Voigtium l. c. p. 1042.

2) e. c. Ovid. metam. I 111. has opiniones multis communes esse populis non opus est ut persequar.

3) Cic. somn. Scip. cap. 16. Manil. I 786: an fontes animae huc (in *γαλαξίαν*) migrant ex orbe. Plac. gloss. Mai coll. Vat. III 481: lacteus circulus quem alii dicunt animis heroum antiquorum refertum et merito resplendere. cf. Bergkii opusc. II 708, Lobeckii Aglaoph. p. 935, Gottholdi Ettig Acheruntica (in stud. Lipsiens.), p. 348. eadem opinio apud permultas gentes inuenitur.

4) simillima sunt quae in quarta tabula prope uicum Carigliano inuenta (apud Kaibelium 642) leguntur. inter hexametros, quorum secundus desperandus esse uidetur, et unum trimetrum interponuntur haec: *ἐγένου θεὸς ἐξ ἀνθρώπου, ἔριφος ἐς γάλ' ἔπετες.* hic alius illo symbolo utitur mystam salutans. quod haud dubie non inter uersus ipsos antea sic scriptum erat. pro illo *ἐγένου θεὸς ἐξ ἀνθρώπου* olim lectum esse e. c.:

. . . . . . *θεὸς δ' εἶς ἀντὶ βροτοῖο*

puto, quos uersus postea magis magisque dissoluebant.

iam a dea benigne receptus exsultauit mysta. etsi modo intellegere omnia tibi uisus es, tamen est quod acrius quaeramus. scimus enim uetustam adoptionis formam talem fuisse qualem Diodorus IV 39 narrat de Hercule: Iunonem ascendisse torum genialem, Herculem in sinum adsumpsisse et ex uestimento deiecisse. sic eum factum esse eius filium. quem adoptionis modum ait Diodorus apud exteras nationes et tunc usitatum esse[1]). sed aliud ne neglegamus: quid significet 'accipere in sinum' illustrat quod Pausanias narrat de Attidis rebus (VII 17, 5): *θυγατέρα τοῦ Σαγγαρίου ποταμοῦ λαβεῖν τοῦ καρποῦ (ἀμυγδάλης). ἐσθεμένης δὲ ἐς τὸν κόλπον καρπὸς μὲν ἐκεῖνος ἦν ἀφανὴς αὐτίκα, αὐτὴ δὲ ἐκύει*[2]). sic Iouem uel Sabazium serpentem factum *εἰς κόρης κόλπον* intrasse tradunt Orphici et hoc modo generasse Bacchum. itaque mystae anguem illum, qui quantum ualuerit in rebus Bacchicis nemo nescit, adnominabant *τὸν διὰ κόλπου θεόν. δράκων δέ ἐστι καὶ οὗτος*, inquit Clemens Alex. protrept. II 76, *διελκόμενος τοῦ κόλπου τῶν τελουμένων*[3]) et in hymno Orph. LII 11 incantant deum: *ὑποκόλπιε.* quibus disputatis effulget illum qui dicat *δεσποίνας ὑπὸ κόλπον ἔδυν* uelle profiteri non modo se ab inferorum dea ut liberum acceptum et quasi adoptatum esse[4]), sed etiam ex altera parte se intima con-

1) cf. Hesychium s. u. *δευτερόποτμος*, et Prellerum in mythol. graec. p. 550.

2) plura apud Voigtium l. c. p. 1087. addas quod de Junone flore grauidata dicitur apud Ouid. in fast. V 256: tangitur et *tacto concipit* illa *sinu*. cf. Usenerum mus. rhen. XXX 216. in *καταδέσμῳ* amatorio legitur (in Abelii Orphicis p. 290, u. 19):

εἰ δέ τιν' ἄλλον ἕλοις ἐν κόλποις ὃς κατάκειται
κεῖνον ἀπωσάσθω. de utero usurpatur et *κόλποι* saepissime et *κόλπος* Sext. Emp. adu. math. V 62. Poll. II 222.

3) cf. Arnob. V 21: aureus coluber in sinum dimittitur consecratis et eximitur rursus ab inferioribus partibus atque imis. cf. Foucartum, *des associations religieuses chez les Grecs*, p. 77; Révillium, *la religion à Rome sous les Sévères*, p. 61.

4) praeterquam quod de ualle Eleusinia cogitat, tamen et ad ea quae supra adduxi adludit, si quid sapio, Sophocles in Antigonae choro Bacchico u. 1115 sqq.:

Πολυώνυμε Καδμείας

suetudine coniunctum esse cum Proserpina regina eadem unione mystica qua olim ipse deus se illi miscuit. iam uero sumas homines illos Thurienses, si *δράματα* sacra agentes nec non per initiatorum sinus serpentes uetustissimo ritu trahentes res uitae beatae futuras sibi ante oculos posuerint, hoc precum ad patronos summos carmen recitasse. cui sententiae fauet quod eiusdem rei testimonio:

ταῦρος δράκοντος καὶ πατὴρ ταύρου δράκων,

quo effato patris et filii unitas affirmatur, addit Clemens (protrept. II 16) uersum, cuius uerba corrupta esse uidentur, sensus tamen non prorsus latet:

ἐν ὄρει τὸ κρύφιον βουκόλος τὸ κέντρον (*κέντριον*?),

et Arnobius idem placitum adpellat '*Tarentinum* notumque senarium, quem antiquitas canit'. colligimus enim magnae Graeciae sodalicia Orphica eodem modo instituta esse atque ea de quibus primo capite diximus ibique mythos illos de deorum generatione sacros et actis et dictis a 'bubulcis' celebratos esse. quid uero de Tarento?[1]) an nescis illic maxime non modo Pythagorae disciplinam, sed etiam Bacchi secreta floruisse? adeas Liuium, qui celeberrimis capitibus (XXXIX, 8—19) explicat, quantopere in illis Italiae inferioris oppidis Bacchanalia aucta et extensa et posteriore tempore magis magisque sceleribus libidinibusque deprauata sint, dum senatus Romanus emisit consultum illud de Bacchanalibus, cuius unum descriptum inuentum est in agro Teurano Bruttiorum. innumeros homines poenis persecuti sunt, multos occiderunt ita ut complures annos continuo persequerentur bacchos sceleribus correptos: in *Apulia*

νύμφας ἄγαλμα καὶ Διὸς βαρυβρεμέτα
γένος, κλυτὰν ὃς ἀμφέπεις Ἰταλίαν, μέδεις δὲ
παγκοίνοις Ἐλευσινίας
Δηοῦς ἐν κόλποις,
ὦ Βακχεῦ κτλ.

1) an 'Tarentinum senarium' referre mauis ad Rinthonem poetam cum Crusio (mus. rhen. XLV 267 sqq.)? immo uero, etsi a Clemente citatur *ποιητὴς εἰδωλικός*, tamen primus uersus *ταῦρος – δράκων* ab eo ipso aliunde citatus erat.

usque ad annum 181, Tarenti usque ad annum 184[1]), 'quo anno L. Postumius praetor, cui Tarentum prouincia euenerat, *magnas pastorum coniurationes uindicauit et reliquias Bacchanalium quaestionis cum cura exsecutus est*' (Liu. XXXIX 41). sic enim editur. quid quod in uno codice legitur '*reliquas Bacchanalium quaestiones*'? nonne paene cogimur pastorum coniurationes ad eandem rem referre et putare Liuium uel eum, e cuius libro descripsit — nam fortasse et haec uerba sicut antecedentia e Valerii Antiatis fallacibus thensauris desumpta sunt — e graeco uertisse, ubi tradebatur de *βουκόλοις*, sed aut ipsum non recte intellexisse aut certe librarios?[2])

uerum utut hoc quidem se habet, satis multa collecta sunt, ut lucem adspergamus illis Italiae mysteriis Bacchicis Orphicis Pythagoreis. unum addere liceat: multa in illis Apuliae et Calabriae regionibus inuenta sunt uasa pulcherrima, quae facta et picta erant, ut in sacellis sepulcralibus constituerentur. nemo negat picturarum quasi caput esse quae in mediis tabulis efficta sunt: Orpheus qui citharam tenens implorat Orcum et Proserpinam[3]) in templo quodam sedentes. alias figuras Hecatam, Mercurium, Erynias, Theseum, Herculem, Aeacum, Rhadamanthum, Triptolemum alios nunc non curamus, quamuis magni sint momenti, neque illos quos mortuos Orcum modo ingressos esse paene constat[4]). quid? effecimus cultum Orphicum maxime

---

1) Liu. XL 19. cf. Zellerum, *philosophie der griechen*, III 2, p. 80 sqq. I 53, 299 sqq. et Prelleri myth. rom.[3] II 363 sq.

2) res tamen non plane certa est: iam cap. 29 de L. Postumio et pastorum coniuratione traditur; sed fortasse ea omnia quae plane eadem esse uidentur ac quae cap. 41 traduntur peruersa sunt. potuere a scriptoribus posterioris aetatis Romanis genuini pastores de quibus cap. 29 dictum est et *βουκόλοι*, de quibus c. 41, commisceri et fortasse ideo Liuius eandem rem bis narrare uidetur, quod certe non fecit auctor primus, quoniam illic nil de bacchanalibus, hic nil de ueris pastoribus et latronibus adscripsit.

3) maxime Proserpinam eum adorare in nonnullis uasibus perspicuum est sicut memoratur apud Diodorum IV 25, 4, apud Ovidium met. X 15. cf. Winklerum, *die darstellungen der unterwelt auf unteritalischen vasen*, in comment. philol. Vratislau., III 5 p. 39.

4) cf. Winklerum p. 77.

floruisse inde ab anno fere 400 usque ad annum fere 200 — uasa illa sepulcralia adscribenda sunt tertio maxime saeculo [1]) — carmen sepulcrale [2]) iam qui litterarum formam respexerunt reuocarunt ad saec. IV uel III (uide Kaibelium ad no. 641). quorum omnium quasi scaena est eadem. fac in eodem sepulcro adstitisse illa uasa, in eodem mystae mortui manu frigida contineri lammellam illam auream — nonne ea inter se cohaerent? nonne ipse Orpheus pictus animarum descendentium quasi praesul Proserpinam sic adloqui tibi uidetur:

ἔρχομαι ἐκ καθαρῶν καθαρά, χθονίων βασίλεια κτλ.

hercle non hariolamur, sed res ipsae clamant et pro nobis interpretantur [3]).

---

1) cf. Winklerum p. 82.

2) alios uersus lamminae Petelinae et quartae Thuriensis (apud Kaibel. 638 et 642) nunc non fusius tracto, quoniam hymnos esse non affirmauerim. sed ne eos quidem uersus excerptos esse e maioris poematis procursu (*εἰς Ἅιδου κατάβασις* uel sim.) iam illa prae se fert tabula, ubi hexametris trimeter insertus est. rectius iudicare mihi uidentur qui oracula esse ea putabant; certe quidem oraculorum formam induerunt (*ἀλλ' ὁπόταν* —, *εὑρήσεις δὲ* —). de uersibus Petelinis nunc nil addo (ap. Kaibel. 638). de Mnemosynes ac Lethes fontibus multa dicenda essent. uia animae descendentis describitur et quasi itinerarium Orci mortuis traditur. summa est similitudo argumenti inter illa et ea quae insunt in libris sepulcralibus (uocari solent: '*totenbuch*') Aegyptiorum. sed me ipse cohibeo. Pythagorei item atque Aegyptii corpora inhumata seruari uoluerunt, non igne deleri. (cf. Rohdeum, *Psyche* p. 209).

3) maxime nunc tendunt archaeologi et philologi, ne quid ad 'mysteria' referant, saepissime quidem recte. Winklerus quamquam de Pythagoreorum palingenesia et metempsychosi ipse cogitat, tamen addit: '*soweit ich auch von der alten erklärungsweise entfernt bin um an mysterien und verwandtes zu denken*' (l. c. p. 79). sed caueamus ne Creuzerum Charybdin fugientes abripiamur ad Nicolaium Scyllam. quae supra adumbraui, si quid scio, certissima sunt; non modo quid n o s uideamus sed etiam quid quibus illa picta erant homines antiqui uidere sibi uisi sint nostrum est interpretari.

V.

Lucis quasi unus radius paullum illustrat hymnorum historiae quos inuestigamus fuscas per multa saecula tenebras. redeundum est ad eiusdem generis carmina a quibus ut par erat exorsi sumus. alia enim carmina uere mystica in rebus sacris cantabantur postremis quod sciamus antiquitatis temporibus ea quae magica uocamus. quae desumpta esse e libellis Orphicis non demonstrandum sed demonstratum est [1]), et quae ipsi magi postea conglutinabant ad eorum normam excutiebant. et in magorum sacris exstitisse *βουκόλους* iam adnotatum est (p. 23 sq.) addo quibus uerbis salutet suos sacerdos magicus (in pap. Paris. u. 1136): *χαίρετε οἷς χαίρειν ἐν εὐλογίᾳ δίδοται ἀδελφοῖς καὶ ἀδελφαῖς ὁ σ ί ο ι ς καὶ ὁ σ ί α ι ς.* an mirum quod etiam poeseos Orphicae thensauri huc deportati sunt? hymnis qui nunc e papyris Aegyptiacis et ex Hippolyto recuperati sunt longe plurimis Hecatam celebrant, summam mundi reginam et maxime *Ταρταροῦχον*. quos et hexametris et trimetris et octonariis uersibus compositos si singillatim tractare uellem, nouus mihi conscribendus esset libellus, sed unius imprecationis Hecatae fragmentum inter praecepta magica lectum in Marcelli Empirici de medicamentis libro nuper nouis curis ab Helmreichio edito (apud Teubnerum, 1890), hymnis uindicare in animo est. nunc legitur l. c. p. 149, 5: 'remedium ualde certum et utile faucium doloribus sic. scribes in charta haec:

εἶδον τριμερῆ χρύσεον τοαναδον
καὶ ταρταρούχου χακεσιν τουσαναδον
σῶσόν με σεμνέ, νερτέρων ὑπέρτατε [2]).

---

1) cf. Diltheyum in mus. rhen. XXVII p. 382.

2) traditur 1 *τριμερυχροισεον* 2 *τουσαναδοντες* 3 *σωυνμε σεμνερνερτερον υτερβατε*, bene haec quidem correcta sunt.

quam chartam in phoenicio obuolutam lino conligabis colloque suspendes meminerisque ut mundus haec facias et ne tertia manu scriptura tangatur'. quae circumscripsere nebulones superstitiosi neglegenda sunt, quippe qui prorsus aliunde suis inseruerint iambos tres adhuc misere corruptos. statim uero aduoco Porphyrium, cuius seruauit Eusebius in praep. euang. III 11, 32 hanc doctrinam: Ἑκάτη δὲ ἡ σελήνη πάλιν τῆς περὶ αὐτὴν μετασχηματίσεως καὶ κατὰ τοὺς σχηματισμοὺς δυνάμεως. διὸ τρίμορφος ἡ δύναμις, τῆς μὲν νουμηνίας φέρουσα τὴν λευχείμονα καὶ χρυσοσάνδαλον καὶ τὰς λαμπάδας ἡμμένας, ὁ δὲ κάλαθος ὃν ἐπὶ τοῖς μετεώροις φέρει τῆς τῶν καρπῶν κατεργασίας οὓς ἀνατρέφει κατὰ τὴν τοῦ φωτὸς παραύξησιν, τῆς δ' αὖ πανσελήνου ἡ χαλκοσάνδαλος σύμβολον. quid χρυσοσάνδαλος sibi uelit satis apparet; quid uero χαλκοσάνδαλος paullo acrius extricare iuuat. nosti Tartari χάλκεον οὐδόν (Hom. Il. VIII 15; Hes. theog. 811) eodemque uellem retulissent interpretes quod Sophocles de loco prope Furiarum nemus sito dicit (OC. 57):

χθονὸς καλεῖται τῆςδε χαλκόπους ὀδός,

praesertim cum Oedipus postea ingrediatur leti ianuam per τὸ καταρράκτην ὀδὸν χαλκοῖς βάθροισι γῆθεν ἐρριζωμένον (u. 1590 sq.). Ἐρινύς est ipsa χαλκόπους (Soph. El. 492), uti solet πλάστιγγι χαλκηλάτῳ. nec latet cuius originis sit Χαλκιόπης nomen, quam fuisse filiam Εὐρυπύλου i. e. Orci ipsius tradit Apollonius Rhod. III 688[1]). iam memoria redeat uersuum Aristophaneorum ran. u. 294 sq., ubi de Empusa, quam haud raro paene ipsam Hecatam esse scimus, leguntur: ΔΙΟΝ. Ἔμπουσα τοίνυν ἐστί. ΞΑΝ. πυρὶ γοῦν λάμπεται ἅπαν τὸ πρόσωπον. ΔΙΟΝ. καὶ σκέλος χαλκοῦν ἔχει.

---

1) χαλκεῖα in sacrificiis chthoniis et magicis adhibentur: χάλκανθος et χάλκιμος sacrificantur Hecatae, Orph. Argon. u. 908 sqq. χαλκεῖον ἄγγος pap. Paris. 223, ποτήριον 3247, χαλκεῖα γραφεῖα 259, 3255 etc. de aeris usu in multorum gentium moribus et religionibus multa collegit Friedreichius, *symbolik und mythologie der natur*, p. 152. de Germanorum superstitionibus cf. Wuttkium, *der deutsche volksaberglaube* p. 122, 143 et al.

eiusdem rei testis est Etymologicum magnum, in quo Empusae nomen quamuis absurde deriuatur *ἀπὸ τοῦ ἕτερον πόδα χαλκοῦν ἔχειν.* insuper alium de Hecata uersum adscribo e papyro Parisina, u. 2334 sq. eliciendum:

ἐρῶ σημεῖον· χάλκεον τὸ σάνδαλον
τῆς Ταρταρούχου . . . [1])

nunc denique eos uersus, a quibus degressi sumus corruptis, promo emendatos:

εἶδόν σε τριμερῆ· χρύσεον τὸ σάνδαλον
καὶ Ταρταρούχου χάλκεον τὸ σάνδαλον,
σῶσόν με, σεμνέ, νερτέρων ὑπέρτατε.

intellegimus sic *οὐρανίαν* et *ταρταροῦχον* deam significari duobus sandaliis et aereo et aureo. hymni exstitit fragmentum: si quid uideo carminis sunt uersus ultimi, quoniam illud *σῶσον κτλ.* plane e more Orphico conscriptum est. etsi uersus ipsi sunt posterioris aeui, tamen symbola illa ipsa iam ueterum Atheniensium fuisse patefecimus.

in hymnis uero Orphicis prae ceteris deis Hecatam ueneratos esse supra monendum erat. magis magisque haec Hecatae et Bacchi mysteria coniuncta sunt, non modo in Asia minore, ubi iam diu illius deae initia floruere, sed etiam e. c. Aeginetas omnium deorum maxime Hecatam coluisse Pausanias fert II 30, 2 [2]): *καὶ τελετὴν ἄγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος Ἑκάτης, Ὀρφέα σφίσι τὸν Θρᾷκα καταστήσασθαι τὴν τελετὴν λέγοντες;* postea uero Romae utraque initia haud raro consociata fuisse docti sumus illis uirorum nobilissimorum honoribus: uocantur simul et *hierofanta Hecatae* et *sacerdos* uel *archibucolus dei Liberi.* anni 377 p. Chr. est lapis cuius litteras modo euoluo in Kaibelii nouis thensauris, 1019:

σύμβολον εὐαγέων τελετῶν ἀνέθηκε Σαβῖνα
Ἄττει καὶ Ῥείῃ βωμὸν ἀγηράσιον,

---

1) cf. eiusdem papyri uerba ad Hecatam dicta, u. 2292: *τοῦτο γάρ σου σύμβολον· τὸ σάνδαλόν σου ἔκρυψα καὶ κλεῖδα κρατῶ κτλ.*

2) alia earum rerum testimonia conlegit Steudingius in Roscheri lex. I p. 1085 sqq.

Λαμπαδίου θυγάτηρ μεγαλήτορος ὄργια Δηοῦς
καὶ φοβερᾶς Ἑκάτης νύκτας ἐπισταμένη[1]).

quid testimonia colligam? unam inspicias quaeso lamminam aeream paruulam quae publicata est in Instituti annalibus (1850 tab. M)[2]): exsculptam enim uidemus Hecatam, cuius simplici corpori imposita sunt tria capita, adposita sex bracchia; haec mucronibus flagellis facibus, illa calathis instructa sunt. in ultraque parte cista animaduertitur serpentibus cincta; a sinistra stat uir quidam et saltans et adorans, qui tergo culeum, manu autem pedum tenet. in tabella uersa ostenditur Bacchus et mulier bacchans. quid igitur? quid uir pedo ornatus? est *βουκόλος*. an pulchrius ipsis antiquitatis reliquiis illustrari poterit ille primi Orphici hymni u. 9, quo illam ipsam Hecatam triformem (*οὐρανίην χθονίην εἰναλίην* u. 2) precantur:

τελεταῖς ὁσίῃσι παρεῖναι
βουκόλῳ εὐμενέουσαν ἀεὶ κεχαρηότι θυμῷ.

tabella uero illa sine ulla dubitatione amuletum est magicum. apertissimum est quo deductae sint initiorum Bacchicorum et Orphicorum reliquiae.

sed cum Hecata facta esset *ἡ Ταρταροῦχος*, non defuit *ὁ Ταρταροῦχος*. uersus magici qui non ad illam uel etiam ad solis uniuersalem deum directi sunt, hunc maxime adeunt tremendum regem, Typhona dico. hymnus Orphicus XVIII, quem dicunt Plutonis esse, inscribitur in omnibus codicibus *εἰς Τυφῶνα*. an expellere licet testimonium eius dei sic maxime in Aegypto exculti[3]):

u. 1: *ὦ τὸν ὑποχθόνιον ναίων δόμον, ὀβριμόθυμε,*
Ταρτάριον λειμῶνα βαθύσκιον ἠδὲ λιπαυγῆ,
Ζεῦ χθόνιε, σκηπτοῦχε, τάδ' ἱερὰ δέξο προθύμως,
Πλούτων, ὃς κατέχεις γαίης κληῖδας ἁπάσης.

adscribo enim quae in uersu 179 papyri Parisinae leguntur:

1) latine subscribitur: D(omino) N(ostro) Gratiano Aug(usto) IIII et Fl(auio) Merobaude coss.

2) repetitam uides imaginem apud Baumeisterum, *denkmäler*, I p. 633.

3) et ex hac re colligere licet hymnorum corpusculum in Aegypto redactum quidem esse.

Κραταιὲ Τύφων τῆς ἄνω σκηπτουχίας
σκηπτοῦχε καὶ δυνάστα θεὲ θεῶν ἄναξ κτλ.

unum uero nunc eiusdem dei hymnum adhuc papyri Parisinae miseris sordibus obuolutum [1]) (u. 261 sqq.) editurus sum. hic erat nondum corruptus:

σὲ καλέω τὸν πρῶτα θεῶν κόσμον διέποντα,
σὲ τὸν ἐπουρανίων σκῆπτρον βασίλειον ἔχοντα,
σὲ μεσεόντων τῶν ἄστρων Τυφῶνα δυνάστην,
σὲ τὸν ἄνω ἐπὶ τῷ στερεώματι δεινὸν ἄνακτα,
σὲ καλέω φοβερόν, τρομερὸν καὶ φρικτὸν ἐόντα,
σὲ τὸν δεινόν, ἀμήχανον, μισοπόνηρον,
σὲ καλέω Τυφῶν' ὥραις ἀνόμοις ἀμετρήτοις,
σὲ τὸν ἐπ' ἀσβέστῳ βεβηκότι πυρὶ λιγείῳ,
σὲ τὸν ἄνω χιόνων, κάτω δὲ πάγους σκοτεεινοῦ,
σὲ τὸν ἐπευκταίων Μοιρῶν βασίλειον ἔχοντα.
κλήζω, παντοκράτωρ, ἵνα μοι ποιῇς ἃ σ' ἐρωτῶ,
εὐθὺς ἐπεννεύσῃς μοι ἐπιτρέψῃς τε γενέσθαι.

1 *σέ* in uersus cuiusque initio acri puonuntiatione productum esse patet. *οργιλον διεποντα* Pap. *ὀργῖλον* uetatur (legitur de Baccho, Anthol. IX 524, 16). postulatur substantiuum. nullum relinquitur nisi *κόσμον*, cuius litterae haud ita longe absunt a traditis. 3 *σε τον ανω μεσοντων αστρων τυφωνα δυναστην* 4 *σε τον επι τω στερεωματι δεινον ανακτα* Pap. *ανω* inferiori uersui uindicaui, *μεσεοντων* restitui et postea uocem *των* addidi. 5 *σε τον φοβερον και τρομερον και φρικτον εοντα* Pap. restitui. 6 *σε τον δηλον αμηχανον* Pap. *ΔΗΛΟΝ* tolerari nullo modo potest. *ΔΕΙΝΟΝ* subesse (una tantum hastula adpingenda est) putaui, quamquam in u. 4 *δεινὸν ἄνακτα* legitur. quod nullius momenti est in huius aetatis hymnis: saepissime fit, ut magi talia adhibentes uersus intermittant. -- praeterea conferas CIGr 5950: *Δαίμονι Περσείῃ πολυμόρφῳ μ ε ι σ ο π ο ν ή ρ ῳ*, quod statuae triformi subscribitur. nonne Typhon est Hecatae quasi maritus et regni conlega? 7 *ωραιςανογνοις αμετρητοις* Pap. suspicor in papyro ipsa scriptum esse *ΑΝΟΜΟΙC*, non Wesselyi *ΑΝΟΓΝΟΙC*. 9 *σκοτινου* Pap. correxi. 11 *ποιησης α σε ερωτω* Pap. emendaui. 12 *και ευθυς επινευσης μοι επιτρεψης δε γενεσθαι* Pap. recuperaui formas genuinas.

quoniam res est de Typhone, locum libri memorialis Ampeliani (VIII 3) *ὡς ἐν παρόδῳ* emendare liceat adhuc despera-

1) Wesselyus editor plane nil addidit nisi '*die anrufung schwingt sich zu hexametrischen anklängen empor*'. ne litterulam quidem correxit.

tum: (Argis in Epiro) 'Iouis templum hyphonis unde est ad inferos descensus ad tollendas sortes: in quo loco dicuntur ii qui descenderunt Iouem ipsum uidere'[1]. deum illum serpentiformem se oculis praebuisse apparet sicut omnia oraculorum numina hanc formam induere solebant[2]. ne Apollo quidem ipse qui draconem Pythium terrae filium, pristinum oraculi possessorem, uicit, tamen ipse 'forma draconina' emergere non aspernatus est. similis est Iouis illius infernalis condicio et Typhonis, quem et prioribus temporibus apud Graecos uim habuisse infernam uestigia nonnulla exstant[3], formae draconinae permulta. uocatur in hymno Orphico u. 3 *Ζεῦ χθόνιε* nec iam ignoramus ad quantos caelestes honores eum postea promouerint. ergo templum illud unde ad inferos descendebatur erat Iouis Typhonis, nec quidquam impedit quin posteriore demum aeuo sic adnominatum esse sumas.

ipsi uero descendamus ad inferos paullo altius. ad eos enim in dies magis delata sunt Orphicae poeseos olim splendidissimae fragmenta macerrima. iam non aureas adimus tabulas sed plumbeas. nam ante hos paucos dies publici iuris facta sunt quae leguntur in septendecim lamminis plumbeis a muliercula sane doctissima britannica[4]. diris completae sunt et deuotionibus; quas nunc non curamus, quamuis multa desiderent non criticam, sed criticum. sed tabellarum ad unam omnium precibus praemittuntur quattuor uersus hexametri compluriens pleni seruati, plerumque praeter nonnullas litteras deleti aut non satis explicati. hymni mystici fragmentum tenemus. atque cum reperta sint haec monumenta plumbea in *Cypro* (prope Curium oppidum, haud procul ab agro Paphiaco), quae insula Ptolemaeorum regno addicta erat, dum Romanorum signa et illuc delata sunt, a uero uix ne aberrem

1) desperauit etiam Rohdeus, *Psyche* p. 112. antea tentauere 'Trophonii' pro 'hyphonis'.

2) cf. Rohdeum l. c.

3) apud Aristoph. ran. 847 sq. ei agnus niger immolandus dicitur.

4) edidit 'Miss Macdonald' in '*proceedings of the society of biblical archaeology*', vol. XIII, part. 4, 1891. p. 160–190.

uereor arbitratus hosce uersus eidem generi carminum Orphicorum uel magicorum adscribendos esse, quod in *Aegypto* maxime floruisse perspicuum est. ipsa uero inspicias uerba, quantum potui, emendata:

Δαίμονες οἱ κατὰ γῆν καὶ δαίμονες οἵτινες ἔστε
καὶ πατέρες πατέρων καὶ μητέρες ἀντιένειροι,
οἵτινες ἐνθάδε κεῖσθε καὶ οἵτινες ἔνθα καθῆσθε
θυμὸν ἀπὸ κραδίης πολυκηδέα πρόσθε λιπόντες —.

1 *δεμονες — κε δεμονες* in tab. 2 *κε* bis in tab. *αντιενιριοι* tradi dicitur. *ἀντιάνειροι* coniectari uidetur quae edidit; sic quidem uertit. cassum est. hoc mihi meditanti unum relinquitur: *ἔνεροι* sunt Inferi, quae uox deriuatur a *νερ*, *ενερ* (cf. *ἔνερθε* etc.). *νέρτεροι*, *ἐνέρτεροι* Inferi. *νειρός· ἔσχατος, κατώτατος* Hesych. (cf. *ἐν χθονὸς νειροῖς μυχοῖς* Lycophr. 896). nil obstat quominus *ἔνειροι* formam accipiamus. sed de forma *ἀντιένειροι*, quam seruare paene cogimur, ipse despero. an inest aliquid quod simile sit illis *ἀντίοις* uel *ἀνταίοις* ita ut *μητέρες ἀνταῖαι* essent et *δαιμόνια ἔνειρα*? cf. p. 36. 3 *κεοιτινες ενθαδε κισθε κε οιτινες ενθαδε καθεστε* in tab. 4 *προσθε λαβοντες* compluriens legitur, semel in tab. XI *λαβοντες λιποντες*. puto *λαβοντες* errore scriptum esse, quoniam sequi solent haec: *παραλάβετε τοῦ ... τὸν θυμόν.*

ipsas mortuorum immo patrum et matrum animas et omnes inferos imprecantur. de hac animarum aduocatione, quae auxiliarentur uel potius malum inferrent hominibus deuotis eosque perterrerent et interficerent, nunc diligenter agere uelle audacis esset [1]). quam hic satis habeo demonstrasse uere Orphicam esse. Titanes enim, hominum generis auctores nunc Tartarum percolentes, aduocantur in hymn. XXXVII 7 his precibus:

ὑμᾶς κικλήσκω μῆνιν χαλεπὴν ἀποπέμπειν
εἴ τις ἀπὸ χθονίων προγόνων οἴκοισι πελάσθη.

sane habent cur talia petant; sciunt enim quibus artibus sibi admittant daemonas inimici. namque praeter maiorum animas ingentem daemonum gregem in terrae uel Tartari profundis uersari opinabantur homines illi magis ridiculi quam religiosi. paullulum subsistamus in hoc papyri Parisinae catalogo uere Acheruntico (u. 1443 sqq.): *Ἑρμῆ χθόνιε καὶ Ἑκάτη χθονία*

---

1) cf. nunc Rohdei librum, *Psyche*, passim.

καὶ Ἀχέρων χθόνιε καὶ Ὠμοφάγοι χθόνιοι καὶ θεὲ χθόνιε καὶ Ηρωες χθόνιοι καὶ Ἀμφιάραε χθόνιε καὶ Ἀμφίπολοι χθόνιοι καὶ πνεύματα χθόνια καὶ Ἁμαρτίαι χθόνιαι καὶ Ὄνειροι χθόνιοι καὶ Ὅρκοι χθόνιοι καὶ Ἀρίστη χθονία καὶ Τάρταρε χθόνιε καὶ Βασκανία χθονία, Χάρων χθόνιε καὶ Ὀπάονες χθόνιοι καὶ νέκυες καὶ οἱ δαίμονες καὶ ψυχαὶ ἀνθρώπων πάντων ... Μοῖραι καὶ Ἀνάγκη .... ὅτι ἐπικαλοῦμαι Χάος ἀρχέγονον, Ἔρεβος φρικτόν, Στυγὸς ὕδωρ, νάματα Λήθης ἀχερούσιά τε λίμνη Ἅιδου, Ἑκάτη καὶ Πλουτεῦ καὶ Κούρα, Ἑρμῆ χθόνιε, Μοῖραι καὶ Ποιναί, Ἀχέρων καὶ Αἰακὲ πυλωρὲ κλείθρων τῶν ἀιδίων. uix respiramus Tartari terroribus paene oppressi. sed ne hic quidem melioris aeui memoria plane oblitterata est, uersuum dico, quos elicias:

καὶ χάος ἀρχέγονον, Ἔρεβος φρικτόν, Στυγὸς ὕδωρ,
τήν τ' Ἄϊδος λίμνην, ἀχερούσια νάματα Λήθης.

nil nunc de aliis Orci administratoribus, de *Ὠμοφάγοις*, quibus haud dubie comparandus *Διόνυσος ὠμηστήρ* et Hecata *σαρκοφάγος* (in hymno lunae p. 295 u. 54 Abel.), nil de fascinationis dea (*Βασκανία χθονία*), cui bene adscriberetur ipsius Mortis deus *ὁ βάσκανος δαίμων*, qui occurrit in carminibus sepulcralibus [1]). nec desunt *Βασκάνιοι Ἅιδου* (in Kaibelii epigr. n. 381):

— *ἐνθάδε κεῖμαι*
ἁρπα[χ]θεῖ[σ' Ἀίδεω] Βασκανίοις.

[β]ασκαίνει enim *τοῖς ἀγαθοῖ[ς Ἀΐδης]*, quem uersum (Kaibel. ep. 496) sic recte restitutum esse a Buechelero iam elucet. ne ab his quidem horridis mostellis absterrentur poetae magici Orphici; legitur in pap. Paris. u. 1399 sqq.:

Μοίραις, Ἀνάγκαις, Βασκοσύναις, Λοιμῷ, Φθόνῳ,
φθιμένοις ἀώροις βιομόροις πέμπω τροφάς,
τρικάρανε νυχία, βορβοροφόρβα Παρθένε,
κλειδοῦχε Περσεφάσσα, Ταρτάρου κόρη — [2]).

1) in Kaibelii epigr. graec. 345. 348 (*φθονερός δαίμων*). 569. 579 (*Βάσκανος ἢ Φθόνος*). satanas etiam a poeta christiano uocatur *Βάσκανος* 1140, 4. cf. Plut. uirt. mul. XVII: *Βασκάνου τάφος* (*ὡς βασκάνῳ τινὶ τύχῃ τὴν Πολυκρίτην φθονηθεῖσαν ἀπολαῦσαι τῶν τιμῶν*). cf. quae de hoc daemone et Romanorum Inuidia adnotauit Eduardus Schwartz in ind. lect. Rostoch. aest. 1889, p. 10 sqq.

2) constituit uersus Herwerdenus in Mnemosynes uol. XVI, 1888, p. 5.

si adsumas ex antecedentibus τροφάς illas esse ἀπὸ τοῦ ἄρτου, οὗ ἐσθίεις ὀλίγον καὶ κλάσας ποίησον εἰς ἑπτὰ ψωμοὺς καὶ ἐλθὼν ὅπου ἥρωες ἐσφάγησαν κτλ., iam perspicuum est hic seruari uetustissimum Ἑκάτης δείπνων ritum religiosum, qui simillimus est Χύτρων Atticorum caerimoniis sacris. Aristophanes dixisse fertur τῶν ἡρώων εἶναι τὰ πίπτοντα [1]). ne alia addam: unde talia manauerint et certis quasi legibus sint circumscripta, iam doceat Laert. Diog. VIII 34 et Suidas, qui adnotant illud τὰ πεσόντα ἀπὸ τραπέζης μὴ ἀναιρεῖσθαι symbolum esse *Pythagoreum*, quod olim iam *Crotoniatis* traditum sit [2]). sed ea mittamus contenti quod in uno exemplo originem Pythagoream et si addere liceat Orphicam enucleasse contigit. quod difficillimum est in his ruderibus. nec tamen non sunt in his farraginibus quae ualeant ad hymnos Orphicos recte intellegendos. uelut in Typhonis hymni XVIII u 11:

ὃς κρατέεις θνητῶν θανάτου χάριν, ὦ π ο λ υ δ α ῖ μ ο ν.

ne Ruhnkenio quidem et Hermanno licuit mutare in πολυδέγμον, quamuis recte de eo monerent. memorantur in tabulis Cypricis δαίμονες πολυάνδριοι. πολυάνδριον est locus sepulcrorum [3]) nec dubium quin Πολύανδρος unum fuerit ex illis nominibus quibus ornauerint deum potentissimum illum, qui omnium regum sane ditissimus imperat plurimis uiris, qui πολυάνδριοι uocari possunt. Πολύανδρος nomen est hominis CIGr 1705. num alius est Πολυδαίμων ac Πολύανδρος, praesertim cum ἄνδρας mortuos uocari δαίμονας minime lateat? Polydaemon est hominis nomen apud Ouidium metam. V 84 (— 'Semiramis Polydaemona sanguine cretum').

unum uero luculentissimum superest testimonium, quo probetur homunciones illos magicos re uera fuisse poetarum

---

non amplius haec tracto, quoniam multa essent exponenda, quibus nil est cum hymnis Orphicis.

1) fragm. 305 Kock. praeterea cf. Athen. X 427 E (Euripides in Bellerophonte similia memorauit). Plin. nat. hist. XXVIII § 27.

2) Jamblich. uit. Pyth. 126. cf. Rohdeum, *Psyche*, p. 224 adn. 1, Prellerum et Robertum in myth. graec., p. 325 adn., Voigtium in Roscheri lex. I p. 1073.

3) Dion. Halic. I 14 et saepius.

Orphicorum discipulos quamuis degeneros et stolidos. et in Cypricis tabellis (tab. I) aduocatur Ῥηξίχθων (traditur Ῥισίχθων), quod nomen haud raro inter papyrorum litteras dignoscebatur. en, et Ῥηξιχθόνη (trad. Ῥισιχθόνη) in eadem lammella occurrit. sed ne longus sim; haec comparanda remitto:

hymn. Orph. LII (Διονύσου) u. 9 sq.	tab. plumb. Alexand. [1])
Ῥηξίχθων Πυριφεγγές ..	ὀρεοβαζα Ῥηξίχθων
οὐρεσίφοιτος	Πυριπηγα

pap. Leid V 9, 10 sq. = pap. Par. 3175 sq.

τὸν ὀρεοβαζαγρα — Ῥηξίχθων
τὸν Πυριπηγανυξ

ecce historiola quaedam in nuce uersuum mysticorum; uides poeseos sacrae ruinas et discerptiones. abripimur ad insaniae lusus atque inuenta stupiditatis, quas persequi taedet. de hymnis nobis agendum erat: adumbrauimus quomodo propagati sint ad magorum sodalicia ac uigilias, quo intrandum est ei qui carminum mysticorum fragmenta omnia conlecturus est; his in tenebris postremae reliquiae indagandae sunt Orphicae poeseos olim illustrissimae. nam sicut fit in litterarum historia: multa quae olim erant splendidissima ac pulcherrima, nobis alta nocte obuoluta sunt; quae sordida et tenebrosa, nimium quantum illucescunt. attamen tenebras conlustrare philologi est.

1) apud Wachsmuthium, mus. rhen. XVIII 563. de tabularum plumbearum et papyrorum consuetudine iam dixi in prologomenis papyri magicae a me editae in suppl. ann. philol. XVI, p. 791.

Haec proponere uolui de carminum Orphicorum reliquiis. liceat in fine commentationis a limine salutare sequentia eiusdem poeseos fata.

in Aegypto uerisimile est hymnorum Orphicorum librum redactum esse. Bacchi profecto cultus Alexandriae maxime floruit. Alexandrum enim ipsum ad Bacchi honores efferebant, Ptolemaeum appellabant *νέον Διόνυσον*. pompam dei magnificentissimam omnibus signis mysticis ornatam descripsit Callixenus Rhodius in libro de urbe ipsa edito (unde Athen. V 25—33). sicuti Alexandrum mundum expugnare uiderant, nunc Bacchi expeditionem imprimis Indicam celebrabant poetae inde ab Euphorione Chalcidensi quod sciamus. Dionysius *Βασσαρικὰ* edidit omniumque clarissimus Nonnus ingentem panxit librum Bacchicum, qui permultis Orphicorum placitis et narratis perspicuus est (cf. Abelii Orphica p. 224 sqq.). quin etiam hymni haud dubie Orphici insunt (XL 369—410 Herculis, XLIV 191—199 Lunae, cf. Diltheyum in mus. rhen. XVII p. 383). et Orphei ipsius iter infernum tractabant. Hermesianactem (Athen. XIII 8 p. 597) uidetur postea imitatus esse Lucanus Romanus.

carmina uero Gnosticorum quin ad exemplar hymnorum antiquorum mysticorum i. e. Orphicorum composita sint uix est quod dubites. papyri enim quae carminibus Orphicis scatent prima sunt gnoseos documenta[1]). Alexandriae hymnos sacros panxerunt Basilides Valentinus Naasseni. Naasenorum psalmum metris antiquis 'liturgicis' — sit uenia uerbo — compositum esse egregie demonstrauit Usenerus[2]). quid uero de Ophitarum

---

1) cf. quae exposui *Abraxas* p. 133, 152 et al.
2) *altgriechischer versbau*, p. 90 u. 94.

sex strophis, quas Origenes in libro contra Celsum VI 31 tradit, iudicandum est? 'in graecis uerbis', inquit Christius, 'nec metricarum nec rythmicarum legum uola aut uestigium indagari potest' [1]). itane uero? licet alii uersus plane deleti sint, ultimus uersus compluriens sic legitur:

ἡ χάρις συνέστω μοι, ναί, πάτερ, συνέστω.

quid quod Sotadeus est uersus? quas res sane sudore dignas nunc mittamus. gnosticis quos constat hymni christiani quasi patres fuisse licuit haurire e fontibus poeseos Graecae mysticae nobis, pro dolor, reclusis. inde hausit Nepos, Aegyptius episcopus, Arius, presbyter Alexandrinus [2]). uerum eos omnes eiecit ecclesia catholica uictrix eorumque musica blandimenta. iam coeperunt nil aliud cantare homines christiani nisi Iudaeorum psalmos. quae fuerint ᾠδαὶ et ὕμνοι, de quibus dicit Paulus apostolus nescimus (Ephes. V 18; Col. III 16), nec magis quae Christiani Bithynii cantauerint Christo quasi deo (Plin. epist. X 96). contra uidemus ipsi nonnullas uetustas cantuum ecclesiasticorum reliquias. psalterium illud Salomonis quod paullo post Hierosolymam deletam confictum esse constat [3]), carmina sunt ecclesiae in apocal. Ioannis I 4—8, V 9, XI 15—19, XXI 3—8, dein apud Lucam I 46—55, 68—79, II 29—32 (quae omnia in parte euangelii postea adserta leguntur), postea in act. apost. IV 24—31, quae omnia nil sunt nisi centones e psalmis aliisque Hebraeorum libris sacris confecti. inter ea cantica quae ueteris testamenti uersioni graecae in codice saec. V. Alexandrino subiuncta sunt, quippe quae cantarentur a Christianis, praeter psalmos nonnullosque alios ueteris testamenti locos nil legitur nisi illae ipsae psalmodiae in Lucae

1) in anthologia graeca carminum christianorum ed. Christ et Paranikas, p. XVI.

2) Euseb. hist. eccles. VII 24, 4. cf. Buhlium *der griechische kirchengesang bis zur zeit des Chrysostomus*, in annal. hist. theol. XVIII p. 207 sqq.

3) cf. Schuereri librum, *neutestamentliche zeitgeschichte*, p. 140 sqq. illud psalterium cum litteris apocalypticis ualde coniunctum esse docet quod Baruchi apocal. c. V paene idem est ac psalm. Salom. XI.

libello traditae. euanuit antiquae precum formae memoria, quin etiam damnata erat. nondum prorsus euanuisse a. 340 docemur narratiuncula de Apollinaribus, seniore presbytero et iuniore lectore ecclesiae, seruata, quos Epiphanium sophistam, qui hymnum in Bacchi honorem confectum recitasset omnesque *τοὺς ἀμυήτους* et *βεβήλους* ex more abire iussisset, non fugisse traditur. quam ob rem Theodotus qui Laodiceae munere episcopi fungebatur iis interdixit usu sacrorum [1]). eadem in urbe patres ad concilium conuocati uetuerunt ne quid aliud in ecclesia cantaretur nisi psalmi traditi (concil. Laodic. canon LIX). sic iam Hebraeorum poeseos amnis grande aestuans quasi inundauerat campos antea uersicolores. tamen Orphei ne tum quidem obliti sunt: in coemeteriis enim Romanis qua forma Christum lubentius ornabant quam Orphei omnia carminibus permulcentis [2])! an putas mero casu hoc factum esse, ut hunc celeberrimum cantorem eligerent, si legeris saepissime illo aeuo Christum et Orpheum opponi aut ut damnarent falsae religionis antistitem et poetam aut ut nonnulla ueritatis christianae iam praesagiuisse prophetam mysticum affirmarent.

hisce quae leuissimo stilo circumscripsi de hymnorum illorum memoria magis magisque euanescente ueniam peto. sed quanto luculentius fit iisdem saeculis quibus carminum unus iste libellus uere in rebus sacris antiquis recitatorum nobis traditus confectus uel certe redactus sit, paullo post Dauidis libris eiecta esse carmina Orphei et plane obliuioni tradita, tanto magis discendum est, quo studio tractandae sint quas temporum inuidia nobis non ademit reliquias hymnorum Orphicorum.

---

1) Sozomen. hist. eccles. VI 25.

2) cf. Piperum, *mythologie der christlichen kunst,* p. 121 sqq. F. X. Kraus, *Roma sotteranea, die römischen katakomben,* p. 195 sqq. adnotare iuuat simillimas Orphei imagines antea inprimis in numis Alexandrinis (Marci Aurelii, Antonini) iuueniri, cf. Piperum l. c., Friedlaenderum et Salletum, *das königliche münzkabinet,* p. 221, n. 869.

INDEX RERVM.

INDEX LOCORVM.

Marburg. Universitäts-Buchdruckerei (R. Friedrich).

